6.05

PETRI ESSEIVA

CARMINUM

LIBRI IX

FRIBURGI HELVETIORUM

TYPOGRAPHIA CATHOLICA

13, VIA DICTA GRAND'RUE, 13

MDCCCXCIV

CARMINA

PETRI ESSEIVA

CARMINUM

LIBRI IX

FRIBURGI HELVETIORUM
TYPOGRAPHIA CATHOLICA

MDCCCXCIV



SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS XIII

SUMMI PONTIFICIS

AD AUCTOREM BREVE

Dilecte Fili Salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum alias lucubrationes superioribus annis a te latino carmine editas, tum postremam quam de Nigritarum captivitate et commercio prohibendo exarasti, nuper accepimus. Gratum fuit Nobis non modo filialis studii officium quod Nobis exhibere voluisti, sed ipsum a te missum munus : illud

enim constantiam ostendit devotae illius voluntatis, quae in te enituit cum in hac urbe honestissimis muneribus in Pontificia militia fungereris, hoc autem fidem Nobis facit te in eorum numero esse, qui afflictam hoc aevo latinarum litterarum fortunam, non inanibus querelis, sed exemplo tueri conantur, et monumentis ingenii sui. Quapropter commendatione Nostra te ultro prosequimur, idque eo libentius facimus, quod tum argumentum a te novissimo tuo carmini delectum, tum praemia quae in poeticis certaminibus victor adeptus es, iustam causam Nobis praebent, ut tuae laudi faveamus. Nostrae demum commendationi addimus Apostolicam Benedictionem, quam in pignus Paternae dilectionis et in auspicium caelestium gratiarum, Tibi tuisque, ut postulas, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Maii Anno MDCCCXC, Pontificatus Nostri Decimotertio.

LEO P. P. XIII.

AD LECTOREM

Quae superioribus annis a me seorsum edita sunt carmina, eadem tibi, amice lector, in unum volumen collecta et accuratiore lima emendata iterum trado. Si qua tamen minus castigata tibi oculos offenderint, benignus ignosce.

Commentariorum scriptoribus, qui haec opuscula honorifice commemorarunt, ex animo grates persolvit auctor. Hos enim, quantulicumque sunt, industriae suae fructus tironibus poetis non plane inutiles fore confidit. Quod si evenerit, nihil sibi ulterius optandum censet, nisi ut omnino rei catholicae quamlibet parum prosint.

Vale ; iam paene emerito veterano precibus tuis subveni et, quum aliquando vita defunctum audiveris, eius animae lucem perpetuam deposce.

LIBER I

ROMANORUM FERIÆ OCTOBRES. — MONS PINCIUS. — PUGNA NOMENTANA. — SIBYLLA.



ROMANORUM FERIAE OCTOBRES

Imperium lucis vix Libra aequarat et umbrae,
Scorpion et presso Phoebus iam contigit axe,
Inque diem rapidos compescens mitior ignes,
Contracto cursu properat se tingere ponto.
Venit io suras calcata sordidus uva
October, reficitque novo dum frigore saltus,
Læta suburbano reddit convivia ruri.
Nunc tristes animo tempus secludere curas,
Nunc arctis nimium Laribus discedere, et acto
Torpentes æstu vires reparare colendo.
Ergo age, tendamus patulis quo rus vocat umbris,
Carpamusque diem : haec nobis Pius otia fecit.
Ecce suis foribus studio concorde Quirites
Prosiliunt exsultantes : desuetaque membra

LIBER I

ROMANORUM FERIÆ OCTOBRES. — MONS PINCIUS. — PUGNA NOMENTANA. — SIBYLLA.

ROMANORUM FERIAE OCTOBRES

Imperium lucis vix Libra aequarat et umbrae,
Scorpion et presso Phoebus iam contigit axe,
Inque diem rapidos compescens mitior ignes,
Contracto cursu properat se tingere ponto.
Venit io suras calcata sordidus uva
October, reficitque novo dum frigore saltus,
Læta suburbano reddit convivia ruri.
Nunc tristes animo tempus secludere curas,
Nunc arctis nimium Laribus discedere, et acto
Torpentes æstu vires reparare colendo.
Ergo age, tendamus patulis quo rus vocat umbris,
Carpamusque diem : haec nobis Pius otia fecit.
Ecce suis foribus studio concorde Quirites
Prosiliunt exsultantes : desuetaque membra

ROMANORUM FERIAE OCTOBRES

Imperium lucis vix Libra aequarat et umbrae,
Scorpion et presso Phoebus iam contigit axe,
Inque diem rapidos compescens mitior ignes,
Contracto cursu properat se tingere ponto.
Venit io suras calcata sordidus uva
October, reficitque novo dum frigore saltus,
Læta suburbano reddit convivia ruri.
Nunc tristes animo tempus secludere curas,
Nunc arctis nimium Laribus discedere, et acto
Torpentes æstu vires reparare colendo.
Ergo age, tendamus patulis quo rus vocat umbris,
Carpamusque diem : haec nobis Pius otia fecit.
Ecce suis foribus studio concorde Quirites
Prosiliunt exsultantes : desuetaque membra

ROMANORUM FERIAE OCTOBRES

Imperium lucis vix Libra aequarat et umbrae,
Scorpion et presso Phoebus iam contigit axe,
Inque diem rapidos compescens mitior ignes,
Contracto cursu properat se tingere ponto.
Venit io suras calcata sordidus uva
October, reficitque novo dum frigore saltus,
Læta suburbano reddit convivia ruri.
Nunc tristes animo tempus secludere curas,
Nunc arctis nimium Laribus discedere, et acto
Torpentes æstu vires reparare colendo.
Ergo age, tendamus patulis quo rus vocat umbris,
Carpamusque diem : haec nobis Pius otia fecit.
Ecce suis foribus studio concorde Quirites
Prosiliunt exsultantes : desuetaque membra

ROMANORUM FERIAE OCTOBRES

Imperium lucis vix Libra aequarat et umbrae,
Scorpion et presso Phoebus iam contigit axe,
Inque diem rapidos compescens mitior ignes,
Contracto cursu properat se tingere ponto.
Venit io suras calcata sordidus uva
October, reficitque novo dum frigore saltus,
Læta suburbano reddit convivia ruri.
Nunc tristes animo tempus secludere curas,
Nunc arctis nimium Laribus discedere, et acto
Torpentes æstu vires reparare colendo.
Ergo age, tendamus patulis quo rus vocat umbris,
Carpamusque diem : haec nobis Pius otia fecit.
Ecce suis foribus studio concorde Quirites
Prosiliunt exsultantes : desuetaque membra

Exercere iuvat, festasque emittere voces.
Deserit urbs urbem ; bipatentibus undique portis
Turba fragosa ruit, lateque exundat in agros.
Patricia insignem gens auro atque arte fabrili
Occupat en rhedam, stratis excepta decoris,
Quae subter dubiae latitant primordia coenae ;
Pone rotas gemini festinant scandere servi,
Utque loco insistit, fastu tumefactus uterque
Conspicuos profert cultus, turbamque pedestrem
Et miserum vulgus solio despectat ab alto.
Ferrata interea crebro ferit ungula terram
Alipedum, nec eis requies quin ora remissi
Praecipitent pariter per saxa sonantia cursum.
Conductus vero praeeuntes lumine torvo
Prosequitur mannus, sortemque incusat iniquam.
Demissus cervicem aegre hic, cui verbera farra,
Stridentesque rotas trahit et positam insuper arcam,
Plebeii qua tota domus stipata Quiritis
Non capitur claustris, et largos pulveris haustus
Sorbet, et ascitam summo se credit Olympo.
Huc ubi piniferum domina caput altius urbe
Pampineo cinctus Marii mons tollit amictu,
Devexusque tuas, Tiberine, excurrit ad undas,
Aut ubi, fictilibus moles congesta ruinis,

Infelix in secessu Testacius aret [1],
At gelidum gravida Lenaeum celat in alvo,
Concurrunt cives ; aliis concurrit et oris
Qui genitus, dextra dein sedes alite Romam
Transtulit. Una omnes ruris dulcedine capti ;
Sed varii variis habitus, diversus et ore
Sermo sonat. Primus nostro tu carmine dignus,
Transtiberine puer, docto qui pectine chordas
Sollicitans citharae, comites componere gressus
Ad numeros subigis. Fusco tibi vellere texta
Braca femur vestit sed candida fascia suras.
Ad femorum motus iactantur utrinque catellae
Argento solidae, Tyrio ardet zona rubore ;
At niveis pectus iuvenile subucula rugis
Protegit ; ex humero pendet plerumque solutum
More togae sagulum ; caput altum tegmen obumbrat
In metam rosea surgens insigne corona.

Quae tam saeva, puer, fugeret tua femina dici ?
Te minime ignarum limis mirantur ocellis
Virginei coetus ; gaudet sed proxima tanto

[1] Mons Testacius, iuxta viam Ostiensem, e testarum fragmentis constat ideoque sterilis est. Huius in radicibus visuntur cellae vinariae mirum in modum frigidae.

Sponsa proco, pactique animum rapiunt hymenaei.
Puniceo nitet haec cultu, violaeque Tarenti
Coryciis certant succis hyalique colori :
Demissam credas Thaumantida nubibus Irim.
Maeandro duplici currit per colla monile
Curalii fictum baccis, rutiloque nitore
Auribus illudit digitosque amplectitur aurum.
Multiplicem in nodum collectos aurea crines
Figit acus, sicamque ministrat Amazonis irae,
Quippe virilem animum muliebri in corpore versat,
Et vegeta praestat forma pariterque decora.
Non tamen huic sineret Phrygio sub iudice pomum
Sive Sabina nurus, celsa seu quae venit Alba
Patriciae sobolis nutrix. Bombyce rigescit
Hanc circum stola Sidonio medicata veneno ;
In spiras flexam tenuis discriminat ostro
Vitta comam, nitidoque caput diademate cingit ;
Circumtextae auro manicae, niveumque puella
Interlucenti religat subtemine collum.

Hos gelidum misit Tibur vel Tuscula tellus
Dives opum, Praeneste alios celebresque Velitrae
Et Latiis quotquot superimposita oppida saxis.
Tene etiam, Samnis, memorem, saevissima pestis,
Navali qui mox tela spoliisque caprinis

Indutus, rigidis lustrans peronibus Urbem,
Invisum Superis nec non mortalibus usque
Utribus horrisonis promes sine nomine carmen ?
Gratior o quanto mihi trossulus ille madentes
Huc illuc media comptus cervice capillos,
Ultima cesserunt cuius modo frivola verpo.
Pexus ei cultus, — si trita subucula, quid tum ? —
Latrantemque novus dat pascere creditor alvum.
Huic it sponsa comes vasto septa aggere telae,
Quae chalybis distenta riget centum orbibus intus:
Serica pone fluens verrit vestigia cyclas,
Atque ater sequitur glomerato pulvere nimbus [1].
Heu quam longa brevem pariunt ieiunia luxum,
Utque iuvat solita semel excessisse polenta !
Sub dio positae recto stant ordine mensae,
Exhaustumque via suadent renovare vigorem.
Scamna rudes nodis tabulae sellasque columnae
Sufficiunt truncae, veteris vestigia fani,
Degeneres usus licet indignante ruina.
Laetior evadit volucrum concentus in auras,
Relliquias dum quaeque sibi promittit opimas;
Iamque frequens inter mensas delapsa columba

[1] Carmen hoc scriptum fuit quo tempore muliebris ille apparatus vigebat quem vulgo *crinoline* nuncupant.

Pabula furtivo praedatur adorea rostro,
Atque fugit lectis ; proprio sed Marte superbus
Non sic, uxorum famula comitante caterva,
Cristatus trepidat tubicen surgentis Eoi.
Qua vocat illisus tinnitu in pocula culter,
Cursitat accinctus, stimulat nam caupo, minister,
Apponitque dapes, pernam rotulasque botelli
Mordaces, clarum tenet unde Bononia nomen,
Farto eadem studiisque favens. Quam suave catinis
Flava ceres olet in tenues deducta canales,
Dum latice exiguoque igni mollita parumper,
Iactati, satura ipsa, novo natat unguine lactis,
Caseus et Parmensis adest atque altilis exta.
Sive tibi agnina est potior vel qui modo pullus
Traiiciente veru suspensus, membra flagranti
Assiduo prunae praebebat singula motu.
Viscera sunt etiam vituli cerebellaque fricta,
Ut Venetis mos ; sunt assae craticula ofellae
De lumbo bovis : his nomen fecere Britanni.
Adde virens olus, humorem cui pinguis olivae
Infundes, versansque diu miscebis acetum.
Fercula ne te hebeti regum servata palato
Sola trahant, sed agrestis ama convivia mensae
Festivo sermone iocisque hilarata solutis ;

Neve manum pudeat plenae admovisse lagenae.
Perspicuo placide subridet carcere clausus,
Obtortae stipulae nec curat vincula Bacchus ;
Verum alacri se compedibus cum murmure promens
Epotos implet calices, gemmisque coronat.
Ore favent ergo cuncti : tibi, Magne, propinant,
Qui Vaticana populis sublimis ab arce,
Ora movente Deo, divina oracula pandis.
Salve, iterum salve, o vates, cui terna potestas
Pontificis regisque simul patrisque serena
Fronte micat. Non concusso tibi vertice sedem
Omnipotens statuit, solido quae adamante perennis
Stet donec stabit, saeclis volventibus, orbis.
Claustra refringat atrox, barathroque excitus ab imo
Undique te infensis circumstet Tartarus armis ;
Signa subalpinus vellens socia agmina iungat
Praedo, pia et minuat perverso numine regna,
Sacrilegis laetus spoliis et caede nefanda :
Attamen ultrici notat hunc infamia labe.
Tu clade indomitus luctuque augustior ipso,
Ad solium cernis prostratas ordine gentes,
Pendere quae patri pietate iubente tributum
Gaudent, eversoque rogant ut consulat aevo.
Vive diu felix, communique annue voto.

Ecce tibi, per te nondum iuga barbara passi
Romani meritum plausu testantur amorem.
At celsae sonitum silvae praeruptaque saxa
Ingeminant, coelique labant convexa fragore ;
Aeratis veluti si quando fulmina festus
Faucibus inclusit centum atque repente tonat Mars.
  Terpsichore interea sublata tympana dextra
Idaeae quatiens matris, gratissima Musa,
Indicit choreas ; adductis inde lacertis,
Nunc summo digito, flexo nunc tergora tenta
Tundit ovans, celeresque movens ad verbera plantas,
Surgere convivas iubet, increpitatque morantes.
Ipse favet ludo locus, area cespite mollis,
Quam septis obiit seseque amplexa vicissim
Implicuit circum frondentia brachia vitis,
Atque tholum simulans optatam sustinet umbram.
  Continuo requies epulis, aditusque theatri
Spectantum obsessi numero ; nec multa moratus
Prosilit in medium nulli puer arte secundus,
Primaque molitur tentamina ; sed deus obstat
Nescio quis misero ; sua nam parere recusant
Membra sibi ; titubant prope deficientia crura,
Et manus in vacuo perplexos circinat orbes ;
Sub pedibus tellus nutat, raptimque feruntur

In gyrum spectatores fruticesque domusque.
At socii quos non eadem vesania fallit,
Excipiunt risu iuvenem, salibusque sequuntur,
Explosus dum tuta petit, fususque per herbam
Proflat anhelanti conceptum pectore numen.
Heu demens! placitae nimium securus amantis
Dum cessas, cupidi pendet tuus ignis ab ore
Rivalis: veterem is paulatim abolere Sychaeum
Incipit, atque novo praevertere pectus amore.
  Cetera sed choreis pubes melioribus instat
Auspiciis: motus numeris properantibus aptans
Quisque puer pariter, pariter sociata puella
Emicat et recidit; rapidis talaria plantis
Addit amot laudum: iuvenis simul atque pedem fert,
Virgo refert obliqua cito vestigia gressu.
Quacunque illa fugae sinuat levis aequore cursum,
Flexibus hic aliis, valido quasi turbine raptus,
Obvius ecce volat; volitat qua flexibus iste,
Illa repente fugae sinuat levis aequore cursum.
Terrigenae velut Antaeo contingere matrem
Si licuit, tactu vires reparabat ab ipso,
Sic ubi summa puer tetigit modo gramina calce,
Continuo resilit, fugientemque acrius urget
Curva sequens, iamiamque tenet: saltu ocius haec se

Proripit, atque hostem diversa in parte theatri
Opperiens plausuque pedum gestuque lacessit.
Ardua formosum nunc brachia ducit in arcum,
Nunc aptat laevam lateri, dextraque fluentes
Distinet inclinata sinus, nec lassa resistit.
  Extulit haec inter festinus lampada Vesper,
Turribus et nutans altis solenne metallum
Tendendum inde domum sonitu proclamat aheno,
Extremam retinent dum sera crepuscula lucem.

MONS PINCIUS

Seu rapidus findit sitientes Sirius agros,
Frigora seu spirans tristis Capricornus eosdem
Constringit, subito sternit dum vellere montes,
Defessum gelida vatem modo Pincius umbra
Detinet, algenti sedes modo praebet apricas
Dilectus populo collis, quem mobilis annus
Non opibus florum, frondis non nudat honore.
Hunc neque funestus vitiatis Africus unquam
Exurit flabris, Scythica neque missus ab Arcto
Desolat Boreas ; Zephyrus sed lenis amoeno
Deprensus luco tenues inflectere virgas,
Aut salientis aquae pugnat torquere cacumen.
Mollia Daedaleus serpens per gramina callis
Fallit inexpertum, gratoque errore per hortos
Floribus halantes ducit nemorisque recessus.
Ausoniae campis quae sponte feracibus arbos

Truditur, Eois repetit quae semen ab oris,
Hibernoque magis quae laeta est sidere, ramos
Miscere atque umbras confundere gaudet amicas.
Nuda comis truncum praecelso vertice silvam
Exsuperat pinus, quam vallant undique circum
Atra larix, abies metamque imitata cupressus
Et myrtus bicolor, late sua brachia tendens
Aesculus et Phoebi laurus proceraque palma.
Illae adeo centumque aliae discrimine nullo
Defendunt soles, et tegmine frondis opaco
Infantum ludos, aevi iuvenilis amores
Longaque tutantur memoris lamenta senectae.
Plurimus ingressum monitu servantis Hygiae [1]
Civis adest, nec cive hospes se rarior infert.
Arguit incessus Gallum ventosaque lingua ;
Scilicet omne solum calcat pede Gallus herili,
Atque probat proprios, alienos increpat usus.
Cui si gemmanti dederint succedere Olympo
Fata, sibi sua reddatur Lutetia tantum
Orabit ; dapibus si fas accumbere Divum,
Pro dulci ambrosia patriae pulmenta culinae
Sequanae et infectos latices pro nectare poscet.

[1] In hortorum Pincianorum limine statua sedet Hygiae cives ad ambulandum invitantis.

Ridet ad haec secum, nec se ridere fatetur
Verborum parcus, rigida compage Britannus,
Quem similis non Ausoniae sub sole sereno
Error agit Tamesis nebulas laudare tenaces,
Londinive nigra squalens fuligine coelum.
Sed quavis ortam referat se femina gente,
Pars minor ipsa sui, cupit ostentare paratus,
Inventas modo munditias, spatiosius aequo
Extructum caput atque immensum cycladis orbem.
  Sin autem viridis labyrinthi ambagibus opto
Extricare pedem, speculaque meare patenti,
Tum maiora mihi mulcent spectacula visus.
Relligione potens orbis caput, inclyta Roma
Panditur ante oculos : celebratae vatibus arces
Templorumque tholi dudumque ruentia priscae
Atque novae apparent monumenta perennia laudis.
Sacrorum o quam te, sedes augusta, tuenti
Curae odio sunt vulgares, atque altius exit
Spiritus, insueto flagrat dum pectus amore !
Quippe tuum pavida postquam formidine nomen
Implevit populos, converso numine pacem
Iustitiamque sonat, magni quoque vivida quidquid
Mens capit et solers multa manus exigit arte.
Ante ergo exspatians feriet tua moenia pontus,

Ante suos Tiberis verso petet agmine fontes,
Quam nostro tua corde ingens abolescat imago.
Qua Notus est Euro conterminus, alta Quirini
Prospectum lautis adimunt iuga consita tectis,
Esquiliasque tegunt; superantem longius arcem
Cernis Aventinam, vasto quam fertile contra
Ianiculum tractu nemorosa cacumina tollit.
Vicino viden'ut splendent, urbs altera, colle
Pontificis sedes, aliique simillima coelo
In coelum penetrant sacri fastigia templi?
At propius moles Adriani operosa sepulcri
Adspicitur, passisque adstans in vertice pennis
Letiferum condit coelestis nuntius ensem.
Deiice nunc oculos valli qua Pincius imae
Decedit, celsaeque vides munimina portae:
Flaminiam dixere patres; labente sed aevo
Ipse suo populus dixit de nomine portam
Contiguumque forum [1]: locus est quoque nomine dignus.
Circuitum geminus signans immania murus
Fert simulacra Deum: plateam hinc atque inde triformes
Despiciunt Sphinges, medioque obeliscus in orbe
Recta stat mole, Aegyptus quam prisca Syenes

[1] Quae olim vocabatur Porta Flaminia, nunc dicitur *Porta del Popolo*. Contiguam vero plateam *Piazza del Popolo* nuncupant.

Rupibus excisam caecis de more figuris
Sacratam Soli voluit, partoque triumpho
Actiacus victor dominam devexit ad urbem,
Restituitque tibi Superum clarissime Phoebe.
Quatuor aeterna lapidem statione leones
Asservant parili spatio, et diversa tuentes
Limpidam inexhaustis reiectant faucibus undam.
  Nunc faciles aditus, nec se spatiantibus offert
Turba frequens; certis vero solennibus aegre
Inde pedem revoces, populum quando excipit omnem
Deserta urbe forum. Specula tum montis in alta
Roboribus textis se attollens machina frontem
Assimilat templi. Conferti huc lumina cives
Intendunt, animisque simul spectacula laetis
Praecipiunt: namque ut primum nox incubat urbi
Lapsa polo, festoque dedit Mars fulmine signum,
Attonitas nova sollicitant miracula mentes.
Iam rubicunda aedes viridi iam luce refulget,
Iam mille adspicitur stellis rutilantibus aptum.
Fontibus hinc magicis liquidas prorumpere flammas
Et toto Phlegethonta vides decurrere clivo.
Quin et terribiles visu facibusque corusci
Aera serpentes tranant, aliique rotarum
Orbibus affixi rapido se turbine volvunt,

Vastaque curvatis spargunt incendia caudis.
Igneus ecce draco nubes secat, unde relabens
Detonat, et centum subito conversus in angues
Flagrantes totidem spiras per inania ducit.
Verum ubi vulcano iam iam considere lucum
Credideris, cadit ignis iners, et quae modo late
Peste tenebantur, vario iuga flore renident.
Illudit fulgetque brevi flos quisque nitore
Nocte sub obscura; tum dissultare repente
Tollereque immensum mons visus ad astra maniplum
Fulminibus iunctis: concussum protinus axem
Luxque fragorque replent: at mox iterum ingruit umbra,
Stellarumque venit de coelo discolor imber,

Annua sed redeunt quum saturnalia Romae,
Lymphataeque brevis dat plebi amentia leges,
Continuo plateae partem quae proxima vico
Circus habet, celerem discant quo flectere cursum
Emensis redae spatiis, et inire regressus
Agmine perpetuo: tacito rota concita motu
Alta Dicarchaeo vestigia pulvere signat [1].
Hinc atque hinc latet aulaeis obtenta theatri
Materies: quoquo converteris ora, fenestris

[1] Bacchanalium tempore via praecipua *(il Corso)* denso pulvere Dicarchaeo *(puzzolana)* sternitur ad praepediendum rotarum strepitum.

Et domuum podiis velorum sericus ordo
Defluit: instrati currus pariterque iugales
Luxuriant festa fronde ornatuque tapetum.
Tunc etiam collis multi petiere Quirites
Perfugium, quos nimirum prudentia segnes
E tuto belli monuit spectare labores.
Nam vehitur quae turba rotis cita quaeque pedestris
Interius campi spatium tenet, altius et quae
Obsidit cuneos, ceu seditione coorta,
Arma fremunt, miscentque manus, pugnamque lacessunt.
Hoc tamen advertes quod non immitibus armis
Concurrant cives, madeat neque sanguine tellus.
Pro gemitu moesto strictique sonoribus ensis
Laetus ubique aures clamor risusque solutus
Impellit; telorum etenim vertuntur in usum
Fasciculi florum pictis vel amicta cucullis
Crustula; nec non et referens imitamine baccas
Usque volat crepitatque cadens per pulpita gypsum
Grandinis in morem: candenti pulvere nimbus
Obruit adversos, et siccis faucibus haeret.
Non tamen absistunt armis, ipsumque iocoso
Femineum genus haud dubitat se credere Marti.
Per medium egregius quum se forte expedit agmen
Insidiasque puer versuta mente volutat,

Cautior hunc oculis dudum sortita puella
Excipit oblatum, plenisque volatile gypsum
Depromens calathis adverso coniicit : olli
Mentita subito pallescunt ora farina.
« Hoc habet » inclamat virgo, et ne talia telis
Ausa luat paribus, festina recedit, et ora
Crate levi tegit, inde hosti solatia victo
Idalios flores et crustula dulcia dulci
Largitur dextra : sequitur quandoque manum cor,
Taedaque compositae fit pignus amabile pacis.

Incepta nisi plus aequo lusisset aberrans
Musa via, larva facies memorare novatas
Ridiculosque iuvet cultus scurrasque facetos.
Sed me iam revocat plebis ludicra perosum
Pincius illecebris, secreto ubi lassa sedili
Flectere membra licet. Variis se futile passim
Vulgus agat studiis, celerique petorita gyro
Tracta palam domini ostendant cum stemmate fastus,
Non ultra potis est animum perstringere vatis
Causa levis, recolit memori dum mente togatae
Annales gentis, Latii vel fata virosque,
Victuram peperere Italis qui saecula famam,
Artificesque adstant Pario de marmore vultus.
Clara cohors, reliquos radiis nisi clarior unus

Obscuret nostri Pius ingens gloria saecli
Et patriae splendor! Qualis quum lumine primo
Sol iubar exseruit nitidum, tunc caetera pallent
Astra polo, lucemque premunt: ore ille sereno
Et noctem fugat et noctis radiantia signa.
Aspice, sunt siquidem et stellis sua nomina, quales
Et quantos tulerit cives Oenotria tellus.
Bellicus hic ductor furto bonus et bonus armis
Imperii fines ad metas protulit orbis;
Ille novam rexit Minyis audentior Argo
Navita, et Oceani haud cuiquam tentata priorum
Transvectus vada supremis terrae appulit oris.
Rerum alius causas legesque retexit opertas
Naturae, indixitque vias palantibus astris;
Ære alter saxove rudi spirantia duxit
Corpora: Phidiacum credas agnoscere caelum;
Nec tantum Cous meruit sibi laudis Apelles
Arte sua quantum iste puer, quem flore iuventae
Invida mors rapuit, gentes flevere peremptum.
Eloquii tibi quis, rostrorum gloria, palmam
Eripiat, Tulli? Parnasso vel tibi quisquam
Andine haud assurgat olor, seu frigida Tempe
Pastoresque canis, Phrygii seu bella tyranni?
Huc ades, et nostro dexter succurre labori;

Nam tu non adeo mendosum condere carmen
Das nobis, Baviique genus das temnere livens.
O me, si nequeam Martis decerpere lauros,
At sinat Aoniis saltem redimire corymbis
Musa comas, olimque Pii celebrare triumphos !
Me miserum, quis nunc tantus se tollit ad auras
Stridor, et in numerum, valido tundente lacerto,
Tympani onus sine more gemit ? Rubiae ignea succis
Ni fallit braca et capiti praefixa volucris,
Gallus eos miles patria ciet arte tumultus,
Concentumque vocat [1]. Subitus tanquam ingruat imber,
Diffugit interea et geminas sibi dum fugit aures
Praecludit manibus turba ; indignata recessit
Ipsa Camena loco, votis neque flectitur ultra.
Nos quoque, praeterea quando nil restat, amatas
Linquamus sedes, vacuoque sinamus ineptum,
Pasquino ridente, chorum strepitare theatro.

[1] Tum temporis seriptum est hoc carmen quum, imperante Napoleone III, Gallicum praesidium Pontificis summi iura tueri et civium aures concentibus mulcere confideret, quod geminum munus aequa cum laude obibat.

PUGNA NOMENTANA

Aurea ducebant mediae prope tempora noctis
Sidera, Romani quum forte crepidine solus
Fluminis errabam, pulsoque calore diurno,
Auras captabam reduces. Purissimus aether
Et sublustris erat, coeloque invecta patenti
E nitido eurru spectabat luna fugaces
Argentique vago tingebat lumine fluctus.
Mente ego tum recolens epos immortale Maronis,
Delicias vatis, nullum ratus affore testem,
His quibus Aeneas compello vocibus amnem :
« Corniger Hesperidum Fluvius regnator aquarum.... »
Perrecturus eram, lenis quum me aestus in unda
Suspensum tenuit ; confestim gurgite summo
Emersit nova forma senis, cui flexilis album
Frondibus immissis crinem redimibat arundo.
Caerulus imbre fluens membris haerebat amictus

Immanes prodens humeros magnosque lacertos.
Tibris erat, Teucro qualis per somnia regi
Cernendum se praebuerat, miseratus ubi olli
Candentem cecinit porcam sedesque futuras.
Miranti similis placido fert lumina vultu
Huc illuc deus, et simul ac me eonspicit : « Heus tu,
Quid petis hinc, latio qui me post saecula primus
Compellans sermone adytis penetralibus excis ?
Qui genus ? Unde domo ? Nam si tibi verba latina,
Barbarus est certe vocis sonus. Ensis et iste
Quid sibi vult, sonitu gressus qui signat euntis ? »
Obstupui visu, tentantique hiscere lingua
Dum prope torpuerat, retuli vix talia : « Salve,
O praestans inter fluvialia numina numen !
Nam tibi non temere est rerum promissa potestas.
Dispeream primis toto nisi pectore ab annis
Ardor erat mihi quondam ista consistere ripa,
Et licet obscuram tuus accola degere vitam.
Vota exaudivit tandem mea Maximus ille,
Arce sedens Vaticana qui legibus orbem
Dum regit augustis, Romanam restituit rem.
Huius militiae me sponte volensque dicavi,
Huius et arma gero. Patriam si discere refert,
Me genuit quae proceris hominumque boumque

Corporibus iactat se Helvetia, ducitur unde
Caseus et miles. Sed tu, precor, alme, loquentem
Ne contemne, tulit quamvis tam barbara tellus. »
Sic ego ; sic contra Fluvius : « Pro Jupiter, infit,
Haud aspernandam memoras sine nomine gentem,
Aevo quae, minime laetor meminisse, priori
Sub iuga Romanas misit modo nata cohortes.
Non impune quidem, facto neque defuit ultor ;
Nam meus imperium Caesar turbare parantes
Contudit ingenio melior, iussitque crematos
Instaurare Lares ; volvens nec tempus ab illo
Compositam excussit pacem, nec destitit unquam
Roma augere suas sociorum robore vires.
Ipse viros quoties ego sum miratus in armis,
Nulla sibi quos dissimiles aliisve secundos
Nacta dies ; etiam probo quod non putida vobis
Postmodo corrumpit res magniloquentia gestas,
Nec malus ille est mos alienas carpere laudes [1].
Quin et, si qua fides verbis, virtutis avitae
Helveti nuper documenta dedisse feruntur.

[1] Tiberis ducem Lamoricierum tacite redarguere videtur qui, paulo ante, rei militaris inscitia et hostium numero debellatus, quo cladis pudorem a se averteret, Helvetios auxiliares ignaviae insimulare minime est veritus.

Imo age, quandoquidem casu data copia nobis
Colloquii, exhaustum bellum et felicia nostri
Arma retexe Pii, duro et quos ipse labores
Sub Marte es passus : placito pro munere habebo. »
Erubui leviter, dein : « Quamvis ista fateri
Sit grave, vera feram. Peperit non dextera laudem
Haec nobis, serpit neque circum tempora laurus ;
Namque mihi gladium et lances dum tradidit aequas,
Invidit partem Themis importuna triumphi [1].
At, tibi si modo non refugis narrata referri,
Experiar iusso parens : tu dexter adesto.

Sceptra Subalpinus postquam vel fraude vel armis,
Fraude magis Siculum praedator ad usque Pachynum
Protulit, atque idem, crudeli caede peracta,
Fortunata Pii est orsus rescindere regna,
Mox etiam, sceleris ne quid linquatur inausum,
Pontificem affectat sacra detrudere sede.
Hoc ipsum regni proceres, hoc improba turba
Mente agitant ; operi miro se accingit amore
Seditione potens Nicaena ex urbe tribunus,
Cui praecorruptos pretio pars maxima laudis
Debellare duces, portasque refringere apertas.

[1] Auctor quaesitoris militaris munere fungebatur.

Ille ergo Ausonias spirans immane per urbes
Fert gressum, et qua fert, ignobile vulgus in arma
Concitat : an plebiscito sibi debita Roma
Milite conducto semper praerepta maneret ?
Communique bono totum pugnaret in aevum
Vana superstitio ? Nequicquam se extera collo
Detraxisse putent iuga, dum funesta sacerdos
Pestis adest, pereditque malus gentem ulcere cancer.
Scindere ne dubitent penitus contagia ferro ;
Sic patrias sortes, nova sic exposcere iura ;
Neve hostem metuant : fore se satis omnibus unum.

Talibus ut stolidae gliscit violentia plebi,
Undique latronum latro bis sex millia cogit,
Fistula queis geritur chalybis fabricata metallo,
Apta ignes subitos vomere atque volatile plumbum.
Inceptum proceres armis opibusque secundant ;
At, ferro quoniam placidos tentare Quirites
Fas vetat antiquum. prohibentque recentia bellum
Pacta, palam ficti scelus infitiantur, et ipsum
Auctorem superatum astu custode coercent.
Regali interea nequidquam milite septos
Invadunt fines socii. Per rura Canopi
Aeria quales allapsae nube locustae
Exurunt segetes : quamvis est corpore quaeque

Imbelli, facit ingluvies numerusque timendas,
Atque ubi fors egit decerpere pabula, nec frons
Arboribus superat, campo neque graminis herba:
Non aliter, vacuas ubi defensoribus urbes
Intravere, domus illi, sacraria, fiscum
Intenti praedae studio rapiuntque feruntque.
Denique per medios, nullo impediente, tribunus
Egressus vigiles, mediam metitur aperte
Italiam, sua eastra petens. Sic omnia postquam
Digessere duces regni, ceu nulla frementem
Sistere vis possit turbam, sua munera laeti
Eiurant, fraudumque parant mercede potiri.
Sed non magnanimi, rerum discrimine tanto,
Mens deiecta Pii. Sunt ipsi ad proelia vires
Exiguae, at fortis pubes patiensque pericli.
Cui simul acta refert, alacri implet castra tumultu
Nuntius; oblato gestit certamine miles,
Quoque vocat Mavors, ibi cursu ardentior adstat.
Dum matres pavidas et vulgus inerme latrones
Terrificant tuto, absentem clamoribus hostem
Deposcunt, ultroque animos ad sidera tollunt.
Verum aciem struere et crudo decernere ferro
Ut monstrat fortuna, coit formidine sanguis;
Tum trepidare metu, levibus tum fidere plantis;

Vincere sive datum est numero, pugnamque diemque
Oderunt, tantnm instar habet victoria cladis.
Vos nostris testes, Ciminum surgentia iuxta
Moenia, Taurini fontes et Balnea Regis,
Mons et tu Briti praeruptaque Nerula et altae
Sublaquei Eretique arces et Curtia Vallis [1] !
Te quoque, te testor, Capitoli immobile saxum !
Namque, ubi per furtum tenebrisque faventibus Urbi
Praedonum manus irrepsit, sibi iungere cives
In facinus tentant, caecosque ciere tumultus.
Quin etiam infernis procumbunt artibus aedes
Milite possessae, miserosque ruina penatum
Opprimit : usque adeo cessit fas omne furori.
Nil ubi dispersis Nicaeno viribus actum,
Continuo sedet haec animo sententia, robur
Contrahere, assultuque gravi turbare Quirites.
Nomentum se ideo multis cum millibus infert,
Extremam inde manum bello impositurus iniquo.
Nec sua castra fovet fessus metuensve laborum
Pontificis miles : requiemque morasque perosus
Carpit iter : fertur Gallorum praepete gressu
Belgarumque phalanx, Araba quos voce Zuavos

[1] Quae oppida nunc Italis dicuntur *Viterbo, Aquapendente, Bagnorea, Monte Libretti, Nerola, Subiaco, Monterotondo, Vallecorsa.*

Appellant vulgo; legio subit altera velox
Gallorum, Antipolis cuius primordia vidit;
Dein e Teutonibus lecti Helvetisque manipli
Indigenaeque equitum turmae. Discrimina cultus
Linguaque sola facit: vario sub sidere natis
Scilicet unus inest eademque amor impulit omnes
Castra sequi. Non his quam multi quaeritur hostes,
Verum ubi sint; paribus quoscunque lacessere telis
Contenti servant oculis fluitantia signa,
Argenti quae praeradiant aurique nitore [1],
Accenditque viros magis in certamina ductor
Teutonis Arminii referens cum nomine pectus [2].
Quum primum ante oculos Nomenti surgere turres
Tectaque cernuntur procul, egressi urbe latrones
Adversi cuneis adstant. Iam glandibus aer
Vulnifici stridit plumbi: tegit agmina fumus,
Bellantumque gravi sensus irritat odore;
Iamque utrinque novus terram cruor inficit, et iam
In medium nostros validus rapit impetus hostem.
En cava protendunt praefixa cuspide tela,

[1] Colores pontificii ex albo et flavo constant.

[2] Exercitus pontificii ductor erat Arminius Kanzler, rei militari praefectus.

Et quum circumstant propiora pericula, longam
Pontifici vitam magno simul ore precantur,
Prorumpuntque simul: ruitur: mora nulla feroces
Densa viri miscent collato vulnera Marte.
His geminat pietas animos, viresque ministrat;
Praeteritis illi sumunt a cladibus iras,
Et brevis ignavis intrat praecordia virtus.
At non fida Pii prodit victoria causam,
Forsitan et fuerat turbae lux illa nocenti
Ultima, ni solitam fuga opem properata tulisset,
Sed steterat modo qui iugulo vel pectore mucro,
Nunc data terga premit. Citius non addita damae
Ora canum fugiunt; timidum non acrius agmen
Latratuque canes rabidis vel dentibus urgent.

Est Nomentanae nemoroso in vertice rupis
Castellum antiquum, subiectaque despicit arva.
Inde ubi prospexere acies praedone relicti
Custodes clademque suam, succurrere tectos
Fert animus sociis palantibus, inque sequentes
Omne genus mittunt telorum: plumbea grando
Turbine adacta cadens per campos funera densat.
Rursus ibi victis spes addita; parvus at illis
Haud parvo stat successus: muralia contra
Sistuntur tormenta, quibus quum stupea flamma

Est admota, tonant, et ferri pondera in arcem
Faucibus effundunt; scissis fugit ocius auris
Cum sonitu ferrum, et perlato protinus ictu
Dissilit; hinc leto sternuntur corpora passim
Fragminibus; tantas commixto sulpure nitrum
Exercet vires! Quae quum subita ingruit arci
Tempestas, trepidus se, qua datur exitus, hostis
Proripit, atque petit subter tellure latebras.
Dum tamen ablati caedis dulcedine nostri
Discurrunt sine lege, tubaeque iterata receptus
Vox frustra canit, ecce recens post terga maniplus
Instaurare aciem, et reditum praecludere tentat
Victori; sed enim terno distincta colore
Signa movent pedites, misit quos Gallicus Urbi
Subsidio Caesar; subigit procurrere virtus
E statione viros, uno quibus usque tenore
Fulgura crebra manu crepitant, mirabile visu!
Extuderat solers alium quae nuper in hostem
Italico Gallus sic imbuit arma cruore [1].
Instrumenta necis, validae gestamina dextrae
Ipse admiratur miles; stupet inscius hostis,
Dumque haeret cadit, et caeco dat vulnere vitam;

[1] Intellige illud sclopeti genus, quod Galli ab inventoris nomine *chassepot* appellant: cuius apud Nomentum primum periculum fecerunt.

Nec potis est usquam consistere, moenia donec
Opposuit repetita fuga, seque aggere sepsit.
Continuo muros nostri et trepidantia castra
Arripiant, nisi lapsa polo nox aemula pugnam
Abrumpat fera corda domans. Obsidere portas
Tum cura excubiis, vigilesque accendere flammas.
Postera vix segnes Aurora resolverat umbras
Exorata viris, fixae quum moenibus hastae
Candida texta ferunt : confestim missus ab hoste
Pacem orator ea confidit poscere lege,
Scilicet ut sumptis liceat discedere in armis ;
Qui sociis quum laeta parum responsa reportat,
Ilicet abiiciunt pariter cum mentibus arma,
Et tendunt in vincla manus. Furialia morte
Coepta luant, magnum sontes nisi nomen obumbret
Pontificis, faciatque Pii clementia tutos.
Non tamen in captis belli est temerarius auctor;
Quippe ubi submotus spatio certamina vidit
Celsus equo, fractas res atque instantia fata,
Iam minus atque minus fidens natosque ducumque
Praecipuos vocat atque his se comitantibus aufert.
Pulsa est ira metu : toties inhiante popello
Qui Romamve sibi mortemve poposcerat amens,
Et Romam fugit et mortem, propriique pudoris

Antevolat famam Furiis agitatus Avernis.
At septem laetis reboant clamoribus arces
Pulsatae, nova Roma memor dum nomina fastis
Inserit, et lauri nectit de fronde coronas,
Praemia virtuti. Victorem ubi nuntius Urbi
Indixit reducem, studio concorde Quirites
Occurrunt, festoque vias examine complent
Confusi ; stant in speculis matresque nurusque.
Inde triumphali miles quum moenia pompa
Ingreditur servata, et pulvere cana decoro
Per confertam aegre evolvunt sese agmina turbam,
Nusquam interrupto feriuntur sidera plausu.
Adde et pensilibus viridantia limina sertis
Atque nivis ritu demissos aethere flores.
Sed quis, si cupiat, percurrere singula fando,
Laetitiam aut poterit verbis aequare diei ?
Nec refert ; tua namque adeo non humida cordi
Regna tibi esse reor, quin te, pater optime, ovantis
Sedibus excierint vitreis spectacula Romae. »
Sic ego ; quem contra Tuscus sic excipit amnis :
« Me minime latuere meae communia gentis
Gaudia, me neque et in partem venisse negabo,
Nota minus quamvis scrutabar plurima mecum.
Hoc magis ore tuo iuvit cognoscere causas

Et belli casus varios; quo vindice sospes
Solennes merito renovarit Roma triumphos.
Pro quo dona tibi quaecumque uberrima Martis
Sint rata : sic humeris gravior tibi tortilis auri
Fimbria descendat : sic versicoloribus apta
Pectore colludant centena crepundia taeniis. »
Dixit, et in verbo Fluvius caput abdidit unda
Illectum placito dimittens omine vatem.

SIBYLLA

Otia festivo ludens quum publica versu
Atque tuae cecini genialia gaudia plebis,
Impare vel libuit quum bella invadere plectro,
Te nostrae, quamvis tenui, Pie maxime, Musae
Subrisisse ferunt. Vatem si fama fefellit,
Hanc liceat fovisse tamen : sin vera, Camenae
Des iterum veniam, grandi quum nixa cothurno
Difficili male firma premit vestigia calle.

Vellerat Euboico Cumarum ab litore funem
Troius Æneas, Austroque ferente supremos
Tendebat cursus, sibi debita regna capessens.
At procul e scopulo Phoebi veneranda sacerdos
Prosequitur puppes acie ; utque immobilis uno
Haeret in obtutu, saxo subnixa rigenti,
Saxea visa foret, turbent nisi flamina canos
Et capitis vittas, oculis nisi fulgeat ardor

Ætherius. Sed enim quum conditur aequore curvo
Classis, et effugiunt lassos cita carbasa visus,
Erigitur solito maior; dein ora resolvens
Attonito vates hoc rumpit pectore carmen :
  Currite fatales aequato gurgite pinus,
Ingens quae vehitis regnum gentisque Latinae
Fortunam, prorasque datis obvertite terris.
Tu vero functis cursu, Tiberine, carinis
Ostia pande volens. Non te excepisse pigebit
Dardanidas profugos, nec praemia parva manebunt
Hospitium; nam qui silvas et lustra ferarum
Squalentesque secas etiamnum inglorius agros,
Horum ope cuncta olim superabis flumina fama.
Quam video factis claram se attollere gentem,
Mixtus ubi Ausonio Troianus sanguine sanguis;
Quas opibus foetas validis vel civibus urbes!
Surgant, o magnae surgant rata moenia Romae,
Despiciet domitum quae septem e collibus orbem,
Et late circum regnis pereuntibus, ipsa
Foedere Parcarum fas immortale tenebit.
Telluris quidquid supero sol lustrat ab axe,
In manibus, Romane, tuis: tibi servit Eous
Hesperiusque sinus, tua vel procul arma tremiscit.
Arcadis Evandri quae nunc mugitibus implent

Arva boves, et inops proscindit vomere fossor,
Artifici mutata manu plebisque patrumque
Saepe frement plausu, vincti quum tempora lauro
Quadriiugos flectent currus ad templa Tonantis
Ascanii de stirpe duces ; gens quaeque subacta
Progreditur, tractisque sonat Via Sacra catenis.
Captivo ante fores vestitas aere columnas
Prospectat Capitolinus pater : omnis ubique
Rostra dabit pontus, dabit omnis terra tropaea.
  Ilion occubuit : fas exultare Mycenis ;
Sed properent, breve dum superest in gaudia tempus.
Ille dies aderit recidiva ubi Pergama saevos
Contundent Argos : opibus spoliata vicissim
Troiano cineri persolvet Achaia poenas,
Incultisque suas tradet victoribus artes.
O artes utinam liceat permittere solas.
Nec simul et mores ! Ubi nunc illa inclyta virtus,
Prisca ubi simplicitas castoque in corpore robur,
Imperium quibus asseruit sibi Romula proles ?
Externum populi serpit per membra venenum
Luxuria, et turpi corrumpit viscera tabo.
Corda diu bellique domique exercita curis
Desidiis franguntur, hebent ad fortia vires.
Tum iuga detrectans coniurat in arma rebellis

Barbaries, iustumque parat satiare furorem.
Interea exitio miseri impendente Quirites
Nequicquam auxilium Divos aut omina poscunt.
Non extis Superum prodest exquirere mentem,
Non sortes petiisse : negant praesagia fibrae,
Legatusque sacro rediens a limine Phoebi
Eversosque refert tripodas Delphosque silentes.

At mihi fatidicus quando corde excidit augur,
Caligantque umbris oculi, non cognitus ante
Ulterius volvens Deus eventura recludit,
Invitoque palam me cogit Apolline fari.
Solve metus, Romane ; licet sperare salutem ;
Aurea nam pariens ubi condet saecula virgo,
Piscatorque tuo provectus litore, Bele,
Aeneas alter Latiae sacra inferet urbi,
Gens simul exoriens coelo gratissima prodit,
Quae vitae sancto miranda tenore, profanos
Dum refugit ritus, castis operatur in aris.
Saevit atrox frustra, templorumque irritus ultor
Sanguine foeda pio placat sua numina Caesar ;
Mille sibi sceptrum video transmittere longa
Pontifices serie : nihil his vastissimus usquam
Orbis habet maius ; dominis assurgite reges !
Iupiter excessit propria quum pulsus ab arce

Et regnis, emotum antiquo cardine mundum
Unanimes potiore illi sub numine torquent.
Mole sua modo quae iam iam inclinata ruebat.
Relligione vigens tum Roma potentior exstat,
Victaque victori mores et foedera ponit.
Armorum cessit rabies, hominumque solutis
Vincla fluunt manibus ; nodis sed amorque fidesque
Corda novis animasque ligant : hinc reddita terris
Invisit secura domos Astraea Quirini
Et sibi Pontificum mansuras munere sedes.
Non illi rerum metas neque tempora norunt,
Nec iam hos terra capit, qui dum pacti ostia coeli
Humano reserant generi, pede claustra barathri
Feralesque premunt portas : fremit horridus Orcus,
Quotque fovet tenebris immania monstra sub auras
Egerit. Heu sancti quam dirae limina vatis
Obsidunt facies ! Bellum stragesque nefandas
Impietas movet effrenaeque superbia mentis,
Tum, cui dant animos spolianda sacraria gazis,
Tristis avarities, regni scelerata cupido
Et libertatis mentita licentia nomen.
Conciliant his arma doli, commenta per artem
Diffusa. inficiens blando fera pocula vultu
Proditio, tectae insidiae subitique tumultus.

Pectora dum vero passim mortalia turbant
Infernae pestes, celebrant penetralia regum,
Conciliisque sedent, via nec super ulla salutis,
Continuo Vaticani de vertice missum
Fulmen abit, quod si reges afflavit, iisdem
Mens torpet viresque simul, vastaque ruina
Concidit in meritos sublime exstructa potestas.
Italiae norunt populi : scis, Gallice Caesar !
Versa metu lucem fugiunt Stygia agmina, et ultro
Plena sinum atque manus remeat Pax candida donis.

Felices ergo tantis quibus exigere aevum
Contigit auspicibus ! cunctis felicior ille,
Cui te nosse datum est, altricis gloria Senae,
Rite salutiferae titulos qui virginis auges !
A pietate tenes haud fallaci omine nomen,
Maxima cui veniam est hosti tribuisse voluptas.
Civiles motus externaque bella rependit
Ingratum genus, et regni plus parte potitum
Tergeminam accingit sese attrectare tiaram.
Non tibi mente ideo rerum fiducia cessit,
Pollicitis freto magnis : captivus, inermis,
Coelestum sed ope et populorum tutus amore
Adspicis impavida venientes fronte procellas.
Macte animis, auguste senex ; te serior aetas

Resque manent laetae, dignique sequentur honores ,
Iamque agis insignes, saeclo mirante, triumphos.
Significas : vario ad nutum spectabilis ostro
Extremis iterum Romam festinat ab oris
Turba favens procerum, sparsis quos esse dedisti
Rectores una populis sacrisque ministros.
Ergo adeunt laeti solium, et te voce frequentes
Pontificem summum regemque patremque salutant.
Eloqueris : simul ecce tuo terrae ultimus orbis
Pendet ab ore silens, fratrum seu stante corona,
Numinis interpres verum rectumque resignas
Gentibus ; obscenos sternis seu fulmine partus,
Decolor averso quos numine protulit aevum.

LIBER II

VIA FERRATA. — URANIA. — SUSANNA. — AFRICANA SERVITUS ABOLENDA.

VIA FERRATA

Ferri aerisque rigens stat monstrum immane metallo,
Terra et Vulcano partum, nova forma Chimaerae
Ferreis fulta rotis, cui perpetuo ordine centum
Vincti a tergo haerent ingenti pondere currus.
Carnibus haud pecudum nec bellua pascitur herba,
Sed prunae ardentes infusus et amnis iniquam
Explent ingluviem. Magno vix corpore clausi
Insolito adversas iungunt ex foedere vires
Ignis et unda simul ; tum creber anhelitus intus
Auditur, surdisque ferae gemit ictibus alvus,
Tum quoque nigrantem fumum mixtasque favillas
Evomere, et tardo primum discedere motu ;
At citius citiusque fugit stimulo excita caeco,
Agmen agens currum : fert impetus ipse ruentem,
Emensumque atra spatium caligine signat.
Cocyto credas Stygiisve paludibus anguem

Emissam, celeri tam magna volumina tractu
Per campos sinuat, tam stridula sibila ventis
Crebrescunt scissis, tanto ferit astra tumultu.
Longinquo allapsum vix murmure prodidit, et iam
Transit, et ex oculis iam se servantibus aufert..
Non abrupta loci praetentave flumina cursus
Impediunt rectos, vastis non rupibus Alpes ;
Nam modo praecipiti suspensum gurgite pontem
Mole terit, volucrique tremunt sub pondere pilae,
Adversum modo se illa furens immittit in antrum
Horrifico sonitu : vocem cava claustra volutant,
Limite defosso penitus dum viscera terrae
Scrutatur raptim, Phoeboque loca invia visit.
Exclusam interea revocant funalia lucem,
Per varios pascit dum flammam adducta canales
Aura levis, gravida qualem se vidimus olim
Rumpere humo, cocto carbone imitamur et arte :
Lumine nec iam audet pinguis contendere Pallas.
Inde brevi rursus superas evadit ad auras
Bellua, et inceptum per saxa, per arva, per urbes
Pergit iter vento citior vel fulminis alis.
Nec picea quum telluri nox incubat umbra
Lapsa polo, sopit stimulos agmenque moratur ;
Purpurea sed dira ferac stant lumina flamma,

Collustrantque viam longe geminamque rotarum
Exstantem normam, visuque animalia terrent.
  Marmore caelato, fabrili splendida luxu
Est domus, igniferi sublimis regia monstri,
Advectas alio merces qua congerit orbe.
Huic propius quum fit, veluti remorante capistro,
Sensim animos ponit, crassumque ad tecta vaporem
Eiaculans aulae succedit, et hic tandem stat.
Curribus at populus certatim desilit ingens,
Exundatque foras : modo qui patria arva reliquit,
Insolitas terris plantas, nova sidera coelo
Adspicit, et rerum mutato nomine mussat.
  Acre animis quo desistat post talia coepto
Iapeti genus ? aut quid non industria vincat
Omnipotens ? Fatis homo iam melioribus ausus
Titanum renovare nefas, temeravit Olympum,
Confectique situ Iovis exitiabile dextra
Eripuit fulgur, ferri quod stamine rectum
Protinus ipsius portet mandata per orbem.
Nec successu idem tumidus tibi, Phoebe, pepercit ;
Artibus Aeaeis nam te, pulcherrime, coelo
Elicit et radiis divina fronte revulsis
Mortales iubet ille suos effingere vultus,
Aeterna ut parti superent monumenta triumphi.

4

Inde superbus ovat, naturae foedera tanquam
Proculcet pedibus, nutuque suo ardua mundi
Machina versetur. Demens ! ut caetera vincas,
Est super est unum nulla quod vincere ab arte
Fata sinunt. Domitum compelle ad frena vaporem,
Praecipitique rota latas perlabere terras,
Aut sine remigio, frustra renuentibus Austris,
Praepete Neptuni campos proscinde carina,
Instantisque lucro ne quidquam vota moretur,
Exciso geminum fac se mare misceat isthmo,
Quo tamen ista tibi ? Fugientem haud secius urgent
Agminibus curae infensis ; quacunque molestum
Flectis iter, morbique graves tristisque senectus
Insidias posuere, ratamque in tempore praedam
Excipiunt : manet extremo sub limite letum.

URANIA

Exiguae est molis, tamen ipsa Pallade dignum
Artis opus, tereti clausum quod saepius auro,
Saepius argento, suspendit quisque monili.
Inque sinu fovet et rebus consultat agendis;
Praetereuntis ibi geminus nam temporis index
In disco positas spatiis aequalibus horas
Circinat: alter iners, oculos fallente meatu,
De signo in signum dum pergit, longior alter
Cunctantem properus sequitur transitque fugitque,
Perque notas decies senas solidum exigit orbem.
Horam adeo volucrem pro se metitur uterque,
Et modo diducta, iuncta modo cuspide signat.
Hoc ubi forte infans usus ignarus et artis
Vidit, eo simul et potitur, manibusque tenellis
Versat opus nitidum, quandoque etiam admovet auri
Internos cupiens pulsus deprendere, et acer

Ungue reluctantem pugnat discludere thecam,
Structura ut pateat crepitusque latentis origo.
Forsitan ipse gravi perdat sua gaudia casu,
Lumina ni patris caveant et provida dextra.
Is nati victus prece blanditiisque coactus,
Multa prius praecepta serens arcana recludit
Omnia, complexo modo quae latuere metallo.
Spiram impellentem monstrat, iunctique rotarum
Qua vice perpetuis trudantur dentibus orbes,
Discordesque regat quaenam concordia motus;
Atque ita persequitur genitor dum singula verbis,
Arrectus puer in digitos animaque retenta
Miratur: vetito vix parcit dextera tactu.

Olli qui puero tentant praecordia sensus,
Hos ego percepi, similique ferebar amore,
Uraniae stanti nuper quum limine celso
Sub pedibus Romanae arces, circumque supraque
Immensa obiecta est radiantis machina mundi.
Inde mihi ut rerum tanta mens obruta mole
Torpuit, ecce deae veneranda in veste sacerdos
Conspicitur, cui velantur dum tempora canis,
Fronte nitent, docto pascit quas pectore, flammae.
Sidereas solitum iam pridem ascendere sedes
Hinc superi quiddam scires traxisse decoris.

Ille ubi vix animo suscepi vota, profanum
Compellans prior affatu dignatur amico,
Multaque poscenti, neque enim reticere cupido
Discendi sinit, obstantes caliginis umbras
Dimovet ex oculis, atque aethera voce recludit.

Protenus enumerat coelo quae plurima passim
Addidit inventrix rerum portenta vetustas:
Scorpion atque Aram, Centaurum Hydramque Lupumque,
Cum situla Corvum rectoque examine Libram,
Posthabitisque aethram sulcat quae fluctibus Argo,
Icarii torrens sidus Canis, Eridanique
In ripa Leporem, puero quae vergitur Urnam,
Aegoceron, Delphina et flexos Semiferi arcus,
Cum Telo Antinoum, Volucrem Iovis, Anguitenentem,
Virginis in laeva Spicam, rabidi ora Leonis
Aestifera, octipedem Cancrum Ledaeque Gemellos
Et zonae ternis insignem Oriona bullis.
Quos inter longum doceor candescere tractum
Pulvere sidereo: tenet hinc Via Lactea nomen.
Ni perstet visum, tenues sine corpore nubes
Credideris pendere polo, tot partibus illis
Astra micant, adeo spatium discrimina celat.
Inde Helles memorat pecudem nimbosque ferentes
Pliadas atque Hyadas, Taurum iunctumque Capellae

Aurigam, metuentem etiam nunc Pistris hiatus
Andromeden et te gestantem Gorgona, Perseu !
Cassiopen, Deltoton, Equi post colla minoris
Pegason, Iasiden, Pisces Cycnumque Lyramque,
Alciden, Ariadnaea de fronte relatas
Ad superos gemmas et inertis plaustra Bootae,
Angue datos flexus securamque aequoris Arcton,
Utile navigiis sidus, praesentius ante
Magnetis quam sensisset medicamina ferrum.

Sparsa per immensum quum rite recensuit astra,
Quinque refert zonas senior mediasque secantem
Tres zonas arcum ; duodena gerantur ut illi
Signa, suis Phoebi peragat quae mensibus axis ;
Utque vices varient inter se quattuor anni
Tempora, dum terra obliquat versatile pondus ;
Quisve homines, sibi dum sedes data volvitur, error
Impellat proprios conferre in sidera motus ;
Vel quo saepe modo radios secludere fratris
Luna queat, terraeque vicissim hanc occulat umbra,
Auroraeque olim rubeant cur igne Triones.
Tum cadere et claram fugiens ubi ducere visa est
Stella refixa facem, vacuum per inane vagari
Corpora caeca monet vates, quae proxima terrae
Si quando fiunt, simul attrita aëre flammas

Concipiunt, stellasque aequant fulgore perennes.
Multa super memoranda refert monstratque sacerdos ;
Sed monstrare parum est : Stygiis quam Thessala saepe
Carminibus maga vel rhombo deducere lunam
Nequidquam est aggressa, cavo trahit ille cylindro,
Inclusit vitreos certis cui legibus orbes.
Quo mirere magis, tali nondum arte reperta,
Per noctem quae flectebat dea candida bigas,
Fit sine fruge solum, convulsa et inhospita tellus,
Centum ubi Vulcanus ruptis furit usque caminis.
Exutus frontem radiis, ope ductus eadem
Phoebus et ipse venit, quamquam si vota valerent,
Non venisse velit : pudor est sine crimine quondam
Prodere nunc maculis turpata nigrantibus ora,
Obscurumve patens, scisso velamine, corpus.
Rex ubi iussus adest, quanam ratione satelles
Abneget indocilis validos audire vocatus ?
Imperio parent liventi Iupiter ore,
Triste rubens Mars et Cyllenius, alba Dione
Annuli et ante alios pulcher Saturnus honore,
Vestaque, Neptunus, Pallas, Iunonius ignis,
Uranus atque Ceres, non nota prioribus astra.
Sunt illis annique sui noctesque diesque,
Sunt, vario mensem praestant quae lumine, lunae :

Orbaque dum proprii ducunt a sole nitorem,
Perplexos iterant obliquo tramite cursus,
Exercentque choros. Celeri vertigine raptis
Impetus assidue est recto prorumpere motu,
Missa fugit qualis torta glans plumbea funda;
Et faciant, medius tanquam nisi Phoebus habena
Flectat agens circum, vires dum viribus aequat.

Ecce autem functus diuturno errore, minisque
Iampridem positis, coeli lustrare cometes
Verrereque effuso properat laquearia crine.
Quae te longinquis, peregrinum sidus, in oris
Detinuit mora? vel viso quid sole repente
Aversum repetis vasti confinia mundi,
Qualis ubi indicto metam certamine currus
Circuiit stringens, verso temone refertur
In spatium praeceps, arrectaque lumina fallit?
Forsitan, in te omni turba inquirente, vereris
Ne species vana et natura patescat inanis?
Nil agis: est medio cupidum qui evadere lapsu
Accit et in trutina pendit, pensoque secandum
Praescribit cursum, et redituro tempora ponit.
Scilicet alma suo regna in sublimia vati
Arbitrium facit Uranie: quo foedere mundus
Versetur, stellarum etiam quis in agmine tanto

Cuique nitor, moles, gravitas, ille omnia novit,
Astrorumque elementa iubet profiterier Irim
Lumine septeno : paret Thaumantis, et ultro
Inscriptam signis properat praetendere pallam.
Quid, quod et arte nova, quam daedalus ipse repertor
Extudit, instabiles ventos nebulasque subegit
Annales perarare suos. Quantum hauserit aer
Humoris bibulus linquet hinc, quantumque caloris,
Perque gradus quoties sua pondera mutet in horas,
Unde recens spiret, quo se ferat impete flatus.
Dumque suas graphium partes obit, acta magister
Digerit in numerum et coeli tabularia servat.
Nusquam alibi tam digna fide monumenta videre est ;
Quippe haud mentiri didicit, contagia necdum
Telluris sensit mediae circumfluus aether.
O certe dextro qui sidere limina vitae
Ingressus, venerande senex, Italoque refulges
Ipse polo sidus, metam tibi proferat aevi
Astrorumque hominumque sator ! Mirabile mundi
Tu vero ne pandere opus, mortalia neve
Artificis summi desiste incendere amore
Pectora. Dum loqueris, nobis terrestria sordent
Actutum bona, fit votis angustior orbis.
Nimirum sumus aetherio quia semine creti,

Irrequieta suos mens se convertit in ortus.
Nos aquilae similes, alto quam rusticus olim
Detraxit nido implumem, dominoque potenti
Captivam addixit. Tenera ut lanugine primum
Flavet avis, generis iam tum dat signa superbi :
Inde in processu, maturo ubi conscius aevo
Accessit membris vigor, haud mansuescere discit
Servitii impatiens. Aulae non divitis illa
Curat opes, pascive manu laetatur herili :
Sed faciles exosa cibos requiemque coactam
Ardet abire, teritque ferox in compede rostrum.
Nunc habiles pennas et adultos respicit ungues,
Nunc moesto patrium metitur lumine coelum,
Deiectam quo se queritur. Tum praepete lapsu
Cognatam si vidit avem transmittere nubes,
Plaudit inops animi vinclorumque immemor alis,
Et nisu delusa novas hinc colligit iras.
Sin autem dederit se abrumpere vincula tempus,
Tendit iter raptim supera in convexa volucris,
Siderea victrix donec libratur in aethra,
Despicit unde domos hominum nescitque reverti.

SUSANNA

Tempus erat sacris praedictum vatibus olim,
Quum Iudaea solo natali abducta propago
Foederis antiqui lataeque ab numine legis
Euphratae ad ripas oblivia longa luebat.
Captivis tamen haud victor ius mitis ademit
Omne : magistratusque suos propriumque tribunal
Agnoscunt, patrioque etiamnum more reguntur ;
Nec censu procerum primis nec honore carendum est,
Quos inter clarum nomenque decusque gerebat
Tunc Ioachim pietatis amans et cultor honesti.
Huic non urbe procul, rigui prope fluminis undam
Villa colebatur nitidis effulta columnis,
Hospitibus domus atque inopi celeberrima vulgo.
Ante aedes ipsas puri fuit area campi
Usibus apta fori, quo se conferre solebant
Iudicibusque suas cives proponere causas.

Contiguum at spatium pomaria laeta tenebant
Umbriferumque nemus. Gazae praedives avitae
Mille super dominus spatiosa in pascua mittit
Armenta, et subigit centeno vomere terram.
Sed minus ille opibus fertur quam coniuge felix
Egregia ; thalamis nimirum animoque recepta est
Ingenti turba Susanna petita procorum,
Susanna Helciadis, cui non certaverit ulla
Laude nurus formae, quot fert Babylonius orbis ;
Virginei nec damna ideo tulit illa decoris,
Quod partus enixa quater quater ubere prolem
Eduxit. Iudae generoso e semine cretae
Haud probitas citra genus est : natisque viroque
Expetit obscuram solis impendere vitam,
Atque operum satis ampla putat se praemia nactam,
Ipsorum quod amor suus aequiparetur amore.
Paene fuit facies fraudi, nam limine gressus
Dum tectorum effert, viridesque perambulat hortos,
Hanc videre simul gemini, simul igne nefando
Exarsere senes, illum queis munus in annum
Obtigerat legis servare examina sanctae.
Alter, Achab, alter Sedecias nomine dictus,
Impietate pares, perversis moribus ambo
Austeram vitiis didicere obtendere frontem.

Heu miseros, quorum terrena faece gravata
Tempore non ullo mens ad coelestia surgit!
Donec heram comitans agmen famulare tuetur,
Dissimulant tantumque procul vestigia servant,
Inque dies nova sufficiunt alimenta furori.
Verum ubi prima data est solam reperire potestas,
Accedunt tentantque fidem mortemque minantur,
Ni velit incesto foedus temerare maritum.
Eventus sed enim postquam improba vota fefellit,
Irritati abeunt, motique dolore repulsae
Indiciique metu Susannam crimine verso
Perdere constituunt. Ergo sub mane recenti,
Litigiosa patet quum discordi area vulgo,
Composito arguitur sceleris matrona pudendi.
Ducitur ipsa simul niveos post terga lacertos
In medium rea vincta forum: quibus illa modestos
Celavit vultus, adimit velamina iudex,
Ut vel sic capiat spectatae gaudia formae,
Impositaque manu capiti iuratus uterque
Hanc se teste refert thalamos violasse iugales.
Invenere fidem commenta auctoribus illis,
Unanimique sono — proh lamentabilis error! —
Pendere virtutis poenas Susanna iubetur.
Admisisse nefas nequicquam tale negantem

Et, quae sola potest, tendentem lumina coelo
In loca senta trahunt, ubi saxis obruta passim
Lege peremptorum solvuntur corpora tabe.
  Huc ubi perventum est penitusque ablata videtur
Spes omnis, minimo mulier discrimine leti,
Sed probitate sua et supero confisa favore
Circumfert oculos, pateat via si qua saluti.
Hinc videt infidos testes turbamque minacem,
Inscia quae placare Deum nil tale petentem
Caede parat. Facto pius et culpandus eodem
Quisque manu gestat silicem, silicemve requirit,
Inque vices caecas acuunt hortatibus iras.
Hinc coniux genitorque adstant et squalida mater,
Germani iuxta et laniato crine sorores,
Nil opis at lacrimas tantum gemitusque ferentes.
Oscula divisit postquam suprema per omnes,
Talibus afflictum est ultro solata maritum :
« Care vale Ioachim, mihi primus et unicus ardor,
Quem meus haud unquam defecit amorque fidesque ;
Sic mihi suprema Deus adsit comprecor hora,
Ut non mente nefas, nedum sum corpore passa,
Utque nece est ipsa gravius velamine rapto
Insidiatorum visus perferre procaces.
Nostra tibi mando praedulcia pignora natos,

Qui patris exhibeant antiquos effice mores.
Hoc est extremum quod te moritura reposco.
An moritura tamen ? neque enim fiducia lucis
Mi concessit adhuc, dum desperare salutem
Nunc etiam ille vetat, tres qui fornacis in igne
Servavit pueros et, praeda futura leonum,
Quum foret horrendum Daniel demissus in antrum,
Adfuit atque feris rictus conclusit hiantes.
Immerita ut praesens illos a morte reduxit,
Si volet, infensos mihi conteret ocius hostes,
Et facilis vertet nostros in gaudia luctus.
Sin aliter visum, tamen ora mea usque sonabunt
Illius laudes, anima hos dum liquerit artus ».
Non ea plura refert, sed — mira potentia veri ! —
Conversae subito mentes dextraeque repressae ;
Nec siccae mansere genae : tum sponte remissis
Saxa fluunt manibus. Contra violentius instant,
Nec leviore senes inde accenduntur ab ira,
Excussa sibi quam tigris Gangetica praeda.
Praecipue saevit ferus impatiensque furoris
Vociferatur Achab : « O relligionis avitae
Degeneres priscaeque nihil virtutis habentes,
Quos, sibi quum poscit coeleste piacula numen,
Feminei infringunt gemitus ! Iniuria nostra est

Desidia haec. Si verba sumus non vera locuti,
In caput optamus nostrum cruor iste redundet.
Ni penitus diae cessit reverentia legis,
Praecipitate moras : me me spectate meumque
Ite per exemplum. » Vires simul arduus ultra
Quas senium dabat, intorsit iaculabile saxum,
Et missurus erat, subito quum territus haesit
Adspectu. Medio en spatio nulli ante videndus
Infert se Daniel, prope venturo obvius ictu,
Paene puer Daniel, sed cui mens praescia magnum
Conciliat iam nunc nomen ; nec gratia regis
Non accedit eo et rerum commissa potestas.
Iampridem superum Deus huic afflavit honorem ;
Insolita sed tunc ardescunt lumina flamma ;
Isque ubi mirantum compressit murmura dextra :
« Qui vos in facinus furor inconsultus adegit,
O cives ? certe generosi ego sanguinis insons. »
Continuo stipant circumfuso agmine vatem,
Et quid verba velint studio concorde requirunt.
Rursus ad hos Daniel : « Vobisne ita fama reorum
Vitaque sunt viles, temere ut discrimine nullo
Damnentur capitis ? Causae saltem istius esto
Me penes arbitrium : mox indubitabile verum
Et vobis erit. At quoniam minus apta ferendis

Haec loca iudiciis, illud redeamus in arvum,
Tristis ubi modo non cautis sententia lata est. »
Imperio parent, nec tutum obsistere contra
Iudicibus visum est ipsis : ventura trementes
Poenitet incepti ; via sed praeclusa regressu
Quandoquidem est, quo fata trahunt inimica sequuntur.
  Suspensos animis prior ut capit area cives,
Consessum e solio quaesitor prospicit alto ;
Dein gemino testi quae viderit ordine narret
Praecipitur. Prodit fictoque ita pectore dirus
Infit Achab, terrore animos dum sumit ab ipso :
« Hesternus medium coeli sol hauserat orbem,
Cesserat et coetu popularis turba soluto.
Me tamen et socium suscepta negotia fidum
Detinuere. Horti secreta in parte sedentes
Colloquio fruimur : studium est expendere causas
Non satis exactas lumenque rogare supernum,
Ne malus officiat rectum scrutantibus error.
Tum nova res nobis mentem convertit et ora :
Praetento faciem iuvenis celatus amictu
Succedit nemori ; nemori succedit et una
Parte alia Helciadis : tum quae comitantur euntem,
Dimittit famulas, dumisque obtecta recedit ;
Sed timido ante locos circumspicit anxia vultu.

Non temere id visum : custodia credita legis
Nos speculari oculis quo res ea verteret egit.
Progredimur fruticumque inter virgulta latemus.
Parva mora est, tenui blandissima verba susurro
Aura ad nos defert ; animos intendimus illuc,
Oraque proferimus : patulae ecce sub arboris umbra
Turpiter ista solo iuveni commixta iacebat.
Primus ut excessit membris torpentibus horror,
Ilicet irruimus : iam iam comprensus adulter
Evadit manibus nostris, tardosque senecta
Ocior eludit cursu, foribusque reclusis
Tuta petit. Profugi nomen scitamur ab illa,
Ignotum sibi quae fingit, genibusque volutans
Solvitur in fletum, atque preces descendit in omnes,
Concubitus foedos ne debita poena sequatur.
Inde brevi exciti nostris clamoribus adsunt
Et famuli et coniux. At tu miraberis ipse
Femineis quae non audacia mentibus insit,
Quum semel exstinctus pudor est : eadem improba nostros
Obsceno quae foedavit modo crimine vultus,
Supplicibusque modis veniam exorare parabat,
Vipera nunc veluti talo compressa rebellat,
Canitiemque istam non infamare veretur.
Quod passa est, inferre probrum voluisse neganti

Arguimur, castumque dolis tentasse cubile.
Usque adeo puris omne enituisse per aevum
Moribus et populo iuvat impendisse senectam!
Ne tamen huic noceat quod nos incessere lingua
Ausa sit: offensamne homines perferre gravemur,
Rectoris quando periit reverentia summi?
Fasque utinam fuerit culpam reticere priorem! »
Sic ubi fatus Achab, iussus narrare sodalis
Haec eadem repetens verbis prope reddit eisdem:
Imminuit nimia ipsa fidem concordia dictis.

Deinde reae postquam fandi est oblata facultas,
Ora verecundo his infit suffusa rubore:
« Nulla mihi quamvis pariunt delicta pudorem,
Infandum pudor est scelus admisisse videri,
Dicta nec istorum manifesto posse refelli.
Quod super, ingenuo pandam tibi pectore casum.
Spargeret aestivos quum sol altissimus ignes,
Et modo digressa pomaria plebe vacarent,
Limine procedo famulis comitata duabus,
Atque vago passu virides spatiata per hortos
In loca devenio, scatebris per saxa volutus
Fons ubi pumiceo stagnat perlucidus antro.
Aestibus ignavis suadentibus, arbiter omnis
Quando aberat longe, — nimium sic credula rebar, —

Egelida subiit artus perfundere lympha.
Ancillas dimitto, seram quae postibus obdant,
Atque unguenta ferant quorum est tergentibus usus
Corpora : discedunt positaque in margine palla
Tingor aquis. Grati laticis dum frigora capto,
Calcata ceu fronde mihi leve murmur ad aures
Pervenit attonitae, virgultaque coepta moveri.
Veste tegor studioque fugae feror alite planta.
Protinus obsistit trepidanti turpe senum par,
E quibus aggreditur comprensam his vocibus alter :
« Testis abest, nec claustra sinunt accedere quemquam,
Nosque tui valido iam pridem ardore tenemur.
Tempora quandoquidem sunt dulci aptissima furto,
Istius aut nobis dabitur nunc copia formae,
Indicio aut mortem patieris adultera nostro
Credita : sic inconcussa stat mente repostum. »
Derigui gelidusque mihi per membra cucurrit
Horror, et haec tandem vix reddere lingua coacta est :
« Aegra mihi hinc atque hinc cruciant praecordia curae,
Quae fugiam stuprata necem aut intacta subibo.
Verum etiam dubitare nefas : ferre ultima praestat,
Foedera quam sacrata tori violare iugalis
Concubitu externo, nec sit mihi vivere tanti.
Immortale decus properata ego morte rependam ;

At vobis humana Deus qui respicit acta,
Opprobrium sine fine dabit luctusque perennes. »
His simul inclamo : mihi tunc occludere dextra
Ora suisque meas contendunt vincere voces,
Proxima deinde vafer Sedecias ostia laxat,
Commentus per quae fugisse feratur adulter.
Cetera nota tibi : non ulli obnoxia culpae
Vitam animi fidens committo tibique Deoque. »
  Nil quaesitor ad haec : tantum secedere testes
Imperat, alterius ne responsum audiat alter
Submotus spatio ; dein hunc compellat et illum ;
« Helciadis quando deprensa sub arbore fertur,
Conscia quae fuerit profer mihi criminis arbos. »
Huic ea lentiscus, curvata huic glandibus ilex
Arbor erat, falsisque addunt periuria verbis.
Tum vero patuere doli : clamoribus urget
Et fremebunda senes turba exsecratur iniquos.
At pius his vates ora indignantia solvit :
« Artifices tetri scelerum dignique profecto
Quos non Israel, iam pridem electa Deo gens,
Impia sed tulerit Chanaan : ut ovilia canus
Circuit arte lupus, thalamos dum fraude pudicos
Usque petebatis, vos in cladem impulit ultro
Annorum serie nihil attenuata libido.

Insidiis multae vestris de plebe puellae
Succubuere, at non Iudae fortissima neptis,
Coniugis exemplum populis per saecula castae.
Hanc scelere absolvo ; non autem indicere vobis
Supplicium refert, vestro siquidem excidit ore
Quae vos poena manet furiosis debita coeptis.
Susannae indignas religant quae vincula palmas,
In meritas transferte manus, animasque nocentes
Protinus iniectis certatim expellite saxis. »
Nulla mora est iusso : nodis constrictus uterque
Abripitur ferale senex ducendus in arvum,
Quo prius Helciadis, fato sed dispare, ducta est.
Mox geminus lapidum priscis accedit acervus,
Membra tegens nihil humanae retinentia formae :
Sanguine terra rubet circum madefacta recenti.

Ut primum pia gratandi satiata cupido,
Innexisque datum est exsolvere colla lacertis,
Sic Susanna ciet numeroso carmine vocem :
« Arx Deus et tutela suis fidissima noster
Et validus populo rebus defensor in arctis.
Vasto igitur quamvis quatiatur terra tumultu,
Et summi medium montes volvantur in aequor,
Pellite corde metus, nullo concussa tremore
Quum vobis pateant magni tentoria Regis,

Qui sibi confisos non spe deturbat in aevum.
Quis Domino similis? Terrarum en ardua fumant,
Si tetigit dextra. Vento super aequora vectus
Erigit is fluctus, tempestatesque serenat,
Ducit ad infernas sedes atque inde reducit.
Ille, mihi quum iam iam oculi sub morte natarent,
Deflexi quoniam recto non tramite gressus,
Audiit orantem, meque irretire parantes
Ipsorum implicuit laqueis, hostesque superbos
Ceu figuli contrivit opus. Praeconia laudum
Quae tibi plena satis sperem persolvere cantu,
Omnipotens, cuius sanctum et mirabile nomen!
Haec resonare tuis quanquam loca laudibus aequum est,
Tum melius psallam, converso numine dexter
Quum dabis exsulibus sedes remeare paternas,
Antiquasque domos sacrumque revisere collem,
Nec tibi de nostris sordebit victima septis. »

AFRICANA SERVITUS ABOLENDA

Aethiopum lustrat qua sol altissimus arva,
Inficit et nigranti hominum fuligine corpus,
Nunc ubi desertum nemus et loca sola videres,
Vicus erat nuper silvis protectus opacis,
Et celebri stabant habitata mapalia turba.
Mane novo exierat studiis intenta diurnis
Mascula progenies : veloci instructa sagitta
Pars agitare feras laqueisve innectere gaudent.
Verum elephas si forte cavo deceptus operto
Incidit in foveam, telis huic desuper instant,
Degravat exanimi donec sub pondere terram.
Hinc geminum innocuo certant abscindere dentem,
Succeduntque oneri, lare quod custode sub ipso
Defodiant in spem lucri. Pars amnis ad undam
Insidiosa trahunt avidos in retia pisces,
Pomave decerpunt, nullo impendente laborem,
Sponte sua passim quae fert uberrima tellus.
Aurea suggeritur palma caryota comanti,

Palmaque lactenti plenas dat nectare conchas,
Nux ubi mordaci patuit rigidissima serrae,
Et varios ultro fetus varia induit arbos.
  Stramineo interea tecto de vimine cistas
Arte rudi intexit postremosque ubere partus
Sustentat genitrix, mulcetque in somnia cantu;
Quorum ea dum simas nares frontemque reductam,
Exstantes malas et crassa labella tuetur,
Singula laeta probat, seque admiratur in illis,
Securamque sibi spondet prolique senectam.
Huic quoque — relligio caecis quae sola relicta est, —
Appendit collo magicas de cortice larvas,
Carmina ne forte officiant oculive nocentes.
At pueri quibus est paulo iam firmior aetas,
Discurrunt, variosque cient per compita lusus,
Et clamore locos implent risuque soluto,
Excipiuntque suos reduces, praedamque receptant.
Protinus admotis torrentur viscera prunis
Tectorum in medio; ventremque explere ferina
Laetantur puraque sitim restinguere lympha;
Eventus nec non amor est narrare recentes,
Pellibus eflulti donec dant corpora somno,
Nec venit in mentem sors ut mutetur in horas.
  Infidae sed enim per muta silentia lunae

Sub nemore alipedum tergo defertur equorum
Bello instructa manus, vicoque invisa propinquat.
Patre Arabo et nigra furto satus hybrida serva
Ancipites prodit membris pallentibus ortus,
Et geminis flagrat vitiis: ante omnia versat
Degeneres animos lucri scelerata cupido.
Saevior immani serpente et tigride foeta
Et quotquot diris Libye scatet horrida monstris
Improvisus adest, pagumque indagine cingit
Ante exploratum, via nec super ulla salutis.
Haud mora, terrifico miscentur cuncta tumultu,
Sparsaque nigrantem volvunt incendia fumum
Vorticibus rutilis, tenebrasque rubore sinistro
Inficiunt, subitosque micans e faucibus ignes
Ferrea canna vomit : dat missile sibila plumbum
Perniciem spargens : coelum ruere omne videtur
Dissiliente solo : tum prosilit excita somnis
Turba casa, effugiumque petit pavefacta malorum.
Glande cadunt icti crepitante virique senesque,
Praecipiti dum fata volunt evadere cursu,
Nec sua non aviam condemnat inutilis aetas.
At trepidae matres, pueri innuptaeque puellae
In breve coguntur spatium, captivaque praedo
Dinumerat capita ; adstricti per mutua vinclis

Nequicquam saeva languentes morte propinquos
Tectaque respiciunt atra consumpta favilla
Sternentesque solum, nuper sua regna, ruinas.
Vulnera nec mulier potis est abstergere fletu,
Nec suprema viro datur oscula figere rapto.
Obstupefacta malis natalem devovet horam,
Dimittitque animum, nec iam spem concipit ullam.
Tum, quae sola super, prolem complexibus ambit
Ignaram rerum consuetaque colla petentem,
Non sibi, non thalami socio fecunda, sed hosti.
Dimovet interea cinerem et tellure reclusa
Infido penitus defossum ut limine raptor
Vestigavit ebur nitidum, exsultatque tuendo,
Et vacuis tradit sua furta gerenda puellis.

Effera quum rediens Aurora exhorruit acta,
Admonet ecce suos quassata ductor habena,
Discessumque parat : propellitur agmine longo
Humanum pecus, ignotisque advertitur oris
Exustos per agros adituque carentia saxa,
Dum cumulo gressus passim cohibentur arenae.
Saepe etiam arboreos nectunt spatiantia truncos
Sarmenta, et variis dependent undique sertis,
Praepediuntque viam, vel inexpugnabile gramen
Luxuria obsistit: regione hinc cedere recta

Coguntur gressuque moras pensare citato.
Heu miserae matres, rapido sub sidere Cancri
Quas agit immensos mala sors percurrere tractus,
Qua per noctem Heliceque nitent septemque Triones!
Nulla quies usquam fessis. Superante labore
Tum vetat invalidam si fors procedere languor,
Rhinocerotis eam sectis te tergore loris
Plectit herus, flagroque rubet discissa cruento.
Quae si non addit male firmae industria robur,
Aegraque crura labant, immani percita clavo
Corruit effuso terram sparsura cerebro,
Atque nece exemplum praebet memorabile tardis.
Solvitur adstricto tum denique fune cadaver,
Esca relicta feris et, quae per inane secutae,
Millibus alituum, casuque morata parumper
Turba novas haurit trepida formidine vires.
Tum si quam subito lactis defecerit humor,
Exsiccata gemens quum porrigit ubera nato,
Abripitur matris gremio et sublime rotatus
Discussa ad lapidem cervice illiditur infans;
Quam facile algentem per iter si forte colubram
Repperit, infringit caput huic ad saxa viator.
Nulla adeo effetis lux iam toleranda dolorem
Non affert, tantumque polo surgentibus astris

Fluminis ad ripam nuda consistere terra
Exiguoque datur ieiunia fallere victu
Per longam collecta diem ; tum more ferarum
Ore trahunt avido submissae corpora fontes,
Et serae tandem licet indulgere quieti.
Somnia tunc etiam fessas crudelia ludunt,
Sopitaeque implent querulis ululatibus auras,
Dum nox atra refert actae spectacula lucis.
Respondet contra vox irritata leonum,
Vix fulgore suo creber quos distinet ignis ;
Invitatque idem culicum saeva agmina fulgor,
Qui tumefacta acri contingunt membra veneno.
Attenuat numerum serviliaque agmina carpit
Quaeque dies, donec fractis aestuque viaque
Urbs in conspectu surgit prope litoris undam,
Atque vagis iuxta statio patet apta carinis.
Adspectos inhiat tum primum femina muros,
Velivolique maris miratur fervere fluctus.
Extenuata nece ut subiere examina portam,
Barbarico apparet structum de marmore templum,
Dimidiaeque tholis exstant imitamina lunae.
At gracili turris clamans e culmine praeco
Tempus adesse monet votis inflectere numen
Supplicibus, vatemque Deo qui proximus haeret.

Stare gregem latro indicit; tum fontis ad undam
Mergere aquis commissa putat, genibusque volutans
Caede cruentatas protendit ad aethera palmas,
Imploratque Deum bonus ut rite orsa secundet,
Praedulcemque ferant suscepta negotia questum,
Nec sua iam capiant crescentem scrinia censum,
Si modo legis amans nunquam spumantia vina
Hauserit aut sanos turbantia pocula sensus.

Inde viae ut tandem metam tetigere molestae,
Truditur in foedam venalis turba catastam,
Arcta loco tristi et venturae nescia sortis,
Quique seras aptat, pulsus foetore recedit.
Diditur extemplo totam vaga fama per urbem
Servilem adventasse gregem, prostare puellas
Nunc iterum, gravidas matres fetusque minutos.
Approperant cives, stabuloque in aperta recluso
Capta manus prodit; non ullo excultus ab usu
Vociveratur Arabs, excussaque brachia iactat,
Contrectatque manu merces, culpatque premitque;
Quas nimiis contra dum laudibus institor effert,
Verba volant sermone ultro citroque rotato.
Convenit ecce viris tandem, pretioque soluto
Multa reluctanti maioraque viribus ausae
Deditur externo proles abrepta parenti,

Non iterum orbatae reliquum visenda per aevum ;
Nec iam flere vacat : crispis apprensa capillis
Dat poenas mulier, partuque carere novello
Emptoresque hilari discit conquirere vultu,
Donec et ipsa foro dominum lucrata recedit.
Proh scelus ! asseruit toto quem sanguine Christus,
Merx homo mutatur paucis vilissima nummis,
Nec subit ad superas attollere lumina sedes,
Dum tenebrae officiunt et ineluctabilis error.
Cetera quid referam casta indignante Camena ?
Ludibrium domini sanctique ignara pudoris
Concubitus patitur venali corpore foedos
Permutatque mares alieni femina iuris
Pallentes vernas, hostes paritura suorum,
Nec tumulo quidquam ulterius speratve timetve.
Quam tamen illarum tua sors magis improba sorte,
Mascula progenies, nondum pubentibus annis,
Obscenoque probro et veneri devota nefandae !
Tum pueris ut adest lustris labentibus aetas,
Hic thalamos et heri secreta cubilia servat
Semivir ; exercet rastris ille arva colonus
Credita, et assiduo glebae sudore rigantur ;
Nec prius emerito fas indulgere quieti,
Spiritus ante diem lassos quam deserit artus.

Usque adeo nihil est vetitum ! Nunquam Africa tellus
Barbarie tristi fusoque cruore vacabit ?
Nunquam adeo non infelix durissima servus
Iura tresmiscet heri scutica conscissus atroci ?
Aut scelus admittet natura horrente repressum,
Pentapoli meritae quum flammeus ingruit imber ?
Surge age, Christe Deus ! Iusta si percitus ira
Devovit sobolem Noe, fuscoque colore
Stirps infecta luit crimen, terraque poloque
Cui iam nulla patet sedes, non mente recursat
Qui puero tibi rex eiusdem gentis alumnus
Myrrhea dona tulit ? Superi tu luminis auctor,
Pande viam caecis, tenebrasque resolve nigrantes.
Qui genus adscita nostrum ne morte periret,
Nequaquam es veritus servilem assumere formam,
Deque cruce omnigenae pandisti brachia genti,
Nunc saltem Aethiopum populos prono adspice vultu,
Daque tuum implorent submisso poplite nomen ;
Denique libertas divino parta cruore
Terrarum nullo non fulgeat aurea tractu.
Haud periere preces : Latiali splendidus ostro,
Quem proprium agnoscit felix Algeria patrem,
Progenie Gallus, summo plaudente Leone,
Devotas Christo compellit in arma cohortes.

Cuius ut eloquio resonant sacra pulpita templis,
Arma fremit stringitque simul vibratque iuventus,
Itque per attonitas belli cita tessera gentes.
Quid, quod et ornatus certat dimittere mater
Cultaque virgo suos, auro fornace recocto,
Ne iusta validae careant mercede phalanges.
En ego vaticinor venturi haud inscius aevi,
Vana nec ignarum veri praesagia fallunt [1].
Foedera concordes longo post tempore iungunt
Germanus Gallusque ferox : non invidet orsis
Austria magnanimis vires, acerque Batavus
Invictam Arctoo deducit litore classem.
Ipsa morae impatiens rumpit retinacula navis,
Assiduo subter quam spira volumine trudit,
Immanemque rapit terebrata per aequora molem.
His Italum fines, his addit Iberia robur,
Nec claris Nerei regina Britannia coeptis
Invidet, aut tellus investigata Columbo,
Sponte sua fuscis quae dempsit vincula servis ;
Et iam militiae quotquot dare nomina gaudent,

[1] Exaratum est hoc carmen quum incitante Illustrissimo et Eminentissimo Cardinali Lavigerio. Christianus orbis in praedones Arabas arma capere velle videbatur. Qui si interim subsedit impetus, nondum ideo communis incepti spes omnino excidit.

Conveniunt, alacrique replent examine portus.
O mihi praeclaram ni desidiosa senectus
Invideat laudem, coeptis dum fortibus obstat,
Quam libeat vestri pars quaecumque esse laboris,
Invicti iuvenes, orbis quos vota sequuntur!
Aversus qua monstrat iter per caerula magnes,
Ite bonis avibus, coelo gratissima pubes,
Fratribus auxilium nigris, infanda furenti
Cladem Arabi laetosque cruci paritura triumphos.
Vos quoque nnnc tandem valido tutamine freti
Ite sacerdotes, superus quos ignis adurit,
Perque plagas Libyae divini semina verbi
Spargite felices operum, lymphaque salubri,
Ternum unumque simul numen valido ore vocantes,
Eluite antiquae penitus vestigia fraudis.
At tibi, magne Leo, sacri pie pastor ovilis,
Qui Vaticano populis de carcere leges
Fers aequas, Italoque licet spoliatus ab hoste,
Collata stipe non dubitas succurrere captis,
Attonita aeternas persolvant saecula grates.
Nulla manent etiam laudum si praemia vatem,
Grande tulisse tuum satis est ad sidera nomen.

LIBER III

AD IUVENEM SATIRA. — AD PROCUM SATIRA. — IN MULIERES EMANCIPATAS SATIRA. — PULICES.

AD IUVENEM SATIRA

Ingenium quod grande tibi est variasque per artes
Excultum, nec abest facundae gratia linguae,
Quodque alacer nullum dubitas perferre laborem,
Res quando vocat, hinc census augere paternos
Confidis, magnosque tibi promittis honores.
O simplex lepidumque caput, cui tempora nondum
Haec liquet a Flacci quam distent tempore! Non qui
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,
Nunc palmam ille feret, verum qui callidus astu
Subripit, aut nullo sudore sibi arrogat audax.
Undique certatim non Fortunae aspicis arctas
Obsideat quae turba fores? Quem tu prius intro
Venturum reris? timida num voce precantem,
Ut sibi decedant surdi? an qui iurgia miscens
Summovet obstantes cubito, vel praeterit arte?
Ergo sollicita quando ambitione teneris,
Et tibi quaerere opes turbaque emergere certum est,
Imprimis habitus istos vultusque pudentes

Exue; nam tanti faciet te futile vulgus,
Quanti te ipse facis. Laudata modestia cunctis,
Nulli adiuta iacet; neque enim res perspicit intus,
Sed specie vulgus semper captatur inani,
Nec, si quid fulget, solido dignoscit ab auro.
Quo fit ut illum homines admirenturque probentque,
Cui sunt ludibrio, reliquos qui ridet et odit.
Ecquis ut Aemilius novit discernere signa
Morborum, membrisque malas depellere febres?
An Paulo invenies alium qui tempore nostro
Defendat causas melius, legumve resolvat
Ambages? At enim si percontaberis ipsos
Quam ferat ambobus segetem labor, obruit illum
Pharmacopola loquax, cedit rabulae iste protervo.
Quocirca merus est furor impallescere chartis,
Aurato quum vana vehi iactantia curru
Ingeniumque pedestre solet conspergere coeno.
Sint tamen in forulis tibi dispositi ordine libri
Sublimes prima titulos in fronte gerentes,
Testibus his ut non exstet te doctior alter.
Hos etiam volve interdum, non pectus ut inde
Plus sapiat tibi, sed mente ut peregrina reponas
Dicta memor, vulgo non intellecta profano,
Quae cuncto in coetu, quoties oblata facultas,

Ructeris : cuidam risusque iocosque movebis
De numero ; at plaudent stulti, quae maxima turba est.
Sed quia nil refert parva duntaxat in urbe
Monstrari digito, patrios transcendere muros
Atque magis magis in populos exire labora.
Hoc age, nec desiste tuum quin impleat omnes
Nomen ephemeridas vera et conficta canentes.
Illae ergo assidue cumulent te laudibus emptis,
Aut culpent etiam : peius, mihi crede, tacebunt.
Praesertimque cave propria ne laude tuam quis
Obscuret famam, populique per ora feratur.
Qua ratione id agas, exemplum protinus addam.
Ponamus Fabium versus scripsisse latinos,
Non renuente deo, quales ego condere vellem :
Nulla sit in toto, cui plaudas, pagina libro :
Omnia carpe, artem, sensus et barbara verba.
Iratus, tua quo commenta redarguat, auctor
Nasonem forsan, Flaccum, diumve Maronem
Commemorans, isdem monstrabit vocibus usos:
Continuo hunc veteres dic compilasse poetas.
Iudicio accedet Bavii genus usque superstes,
Et tecum e medio certabit pellere vatem ;
Ut si quem temere allatrat canis, omnis eidem
Turba canum saevis pariter latratibus instat.

Sin autem usque adeo coepit clarescere fama
Illius, hanc ut mordendo nil proficias plus
Vipera quam vecors, ubi limam dente petivit,
« Dii bene, clamabis, nostris quod paruit iste
Consiliis prudens; nam, si nescitis, amico
Argumentum egomet suasi formamque libelli.
Haec etiam correxi atque haec, quamquam ipse fateri
Ingratus non vult. » Alienae ita tu quoque laudis
In partem venies minimo, salvaque crumena
Maecenas eris actutum sive Hoeufftius [1] alter.

Est aliquid clarum populo praetendere stemma,
Ampla genus si commendant patrimonia priscum.
Quae siquidem tibi sors non contigit, attamen ipse,
Qua poteris tuto, cerdone creatus avorum
Nomina magna crepa, diversoque orbe iacentis
Iugera tot fundi; magnos quoque finge sodales
Vix semel aspectos, quorum prope si quis adesset,
Ora tibi forsan caedat mendacia pugnis.
Pavonis dum vana gerit cornicula pennas,
Omnis eam miratur avis : tum fabula fiet,
Quum male furtivos defendet inulta colores.
Vaniloquus tu si fors deprendere, caveto

[1] I. H. Hoeufft, Batavus quidam nobilis, cuius ex legato certamen poeticum institutum est.

Ne rubor affirmet culpam, quae non nisi fasso
Officiet. Dictoque mane, et voce obstrepe cunctis,
Increpitans ultro, quorumdam exempla secutus,
Qui victi paeana canunt, quibus insita prorsus
Per cunctas alimenta rapit iactantia clades.
Sic bene miscueris postquam periuria verbis,
Criminibus credet nemo, victique recedent
Qui te egere reum. Quod si tamen unus et alter
Perstet in indicio, laesum praequestus honorem
Coge lanista rudem tecum decernere ferro,
Cui simul ac corpus rigido destrinxeris ense,
Hoc ipso vir summus eris, generosus, honestus,
Praedives ,sapiens, probus et quodcunque placebit.
  Dum vero tua vile feret fastidia vulgus,
Qui prodesse tibi circumspice, quive potentes
Damna inferre queant. Humilem te his adde clientem,
Officiumque obtrude tuum. Sua tecta patronus
Seu petat aut linquat, servantem te atria cernat
Permixtum famulis, ut iam non notior illi,
Nec magis ad nutus quisquam sit promptus heriles.
Haud secus atque auceps volucrem, hunc tu mille parato
Illaqueare dolis et laudum fallere visco.
Exceptus quoties torve quotiesque repulsus,
Usque reverte tamen, facie velut improba musca

Semper abacta loco semper consistit eodem.
Inde ubi paulatim domini captaveris aurem,
Omnis abesto pudor votis : in retia lapsum
Assidue precibus cupidisque obtunde querelis ;
Perprime cunctantem, nec dimitte ante procaci
Quam tribuat lassus dignis quod forte negarit.
Sic tibi servitii dabitur decerpere fructus,
Sic phaleras titulosque feres et dulce lucellum.

Sed te finge etiam frustra petiisse potentum
Tutelam, periisse fidem, quacunque recurras,
Praeclusas tibi ubique fores ; num proiicere artem
Turpiter atque animum te despondere iubebo ?
Nou ita, dum superest alio traducere curas,
Quodque negant proceres donat plebs saepe petenti.
Quare haud laevus ad hanc transfer tua vota precesque,
Et maiestatem dominae fac plebis adores,
Illuxisse diem cane, quo rerum ordo novetur
Funditus, et longae tandem vestigia fraudis
Ultima depereant : homines discrimine nullo
Naturam finxisse pares, suaque omnia prorsum
In medio posuisse bona, ut communiter omnes
Utantur positis. Quo contra haec foedera pacto
Ingratum exercent alii sub sole laborem,
Indulgent alii genio, et convivia curant ?

Nempe ideo campum rastris inverterit alter,
Alterius cumulo ut rumpat granaria messis?
Splendida divitibus qui struxerit atria luxu,
Ipse casa labente hiemis male frigora pellet?
Missa manu tandem fiat plebs digna suis quae
Se regat auspiciis! Quid rumpere vincula mussant
Magnamini cives, heroum certa propago?
Iura negata sibi praesenti Marte reposcant,
Obstupeatque tuens factis ingentibus orbis!
Talibus ut stimulis exarserit ira popello,
Suffice in hos usus aggesta volentibus arma,
Et civilis eat signum cita tessera belli.
Dum debacchatur vesana viasque cruentat
Seditio, prudens laris inter tuta latebis,
Atque cutem curabis iners, quo, si male vertat
Res sociis, ausique luant in carcere poenas,
Non bene perspecto solvat te crimine iudex.
Ast ubi non dubius referet speculator ubique
Victricem causam populi, neque tendere contra
Ulterius quemquam, coeca formidine captos
Deesse sibi proceres, pulsum sine vindice regem,
Ilicet e foribus correptis impiger armis
Prosilies, non ore alio quam si modo pugna
Digressus totum ipse manu prostraveris agmen;

Teque altum spirans numero immiscebis ovanti,
Iniiciesque manus, et gentis nomine regnum
Arripies. Posthac dura exercere licebit
Imperia, et cives vexare impune tributis;
Nam quod tonderi graviter pecus ante ferebat,
Dummodo verba dabis, tradet cum vellere pellem
Sponte sua; vel si audebit muttire, coerce
Fustibus, et dominum grex te experiatur ineptus.
At quoniam nulla est hodie diuturna potestas,
Fortunaque magis non est mutabile quidquam,
Consule iam inde catus ne, quum te merserit illa,
Privato vel opes vel vitae gaudia desint.
Neve bonae nimium cures dispendia famae,
Quum scelus invenies nullum, quo non sit egestas,
Deterior multo. Vel quid tam turpe parabis,
Quod non utilitas purget, successus honestet?

Sed tetrica dudum me fronte tueris et: «Ohe!
Turbidus exclamas; quo me tandem usque tenebis
Suspensum naso? vel quorsum ea putida tendunt
Praecepta ad nostros minime facientia mores?
Nam neque me sancti talem instituere parentes,
Qui decus aut nummos vener per crimina; nec tu,
Si bene te novi, ad monstratas confugis artes.
Quare nugando nisi perdere tempora malis,

Conticeas melius. » Pulchre ! respondeo, recte !
Arguit ista probos nempe indignatio sensus.
At levibus quando praeponis seria nugis,
Nec piget ad nostrum vitam componere morem,
Accipe pauca super, fido quae pectore manant.
Nequaquam temere humanas Fors extrahit urna
Dispensatque vices ; nutu quippe omnia versat
Ille suo rerum sapiens et providus auctor,
Cui vitae quodcunque bonum debere fatemur.
Atque idem sua dona tibi tribuisse videtur
Uberius, sanam robusto in corpore mentem,
Non adeo tenuem censum carosque sodales
Et sine sorde genus ; quae qui nihili autumat, illum
Non regalis honos, non auri explebit acervus.
Haec tamen ingratus spernis, bona sola requirens,
Quae paucis hominum sero labor arduus affert,
Tum vix parta gravis Libitina relinquere cogit.
Dumque fugis quae sunt praesto, fugientia captas,
Labitur interea, concessoque excidit aevo
Optima quaeque dies. Huc adde quod irrita dona
Praereptumque sibi dator indignatur honorem.
Quin potius, tibi dum studiis viget aptior aetas,
Contentus modico propriaque in pelle quietus
Solertem austeras animum convertis ad artes,

Unde tibi atque aliis traducas utilis aevum.
Seu te ius anceps delectat et aula forensis,
Scripta peritorum noctuque dieque retractans
Inter se confer, ne istis ubi venerit usus,
Te bona patrono pereat vel iudice causa;
Seu tibi Mars stimulos vertit sub corde potentes,
Militiaeque sedet vires impendere iustae,
Disce levis qua lege queat victoria cogi,
Ne quandoque tuis discedat transfuga castris.
Sed quia languescit qui semper tenditur arcus,
Et graviore diu mens cura obsessa fatiscit,
Pierio durum lusu solare laborem,
Dulcibus indulgens Musis; princepsque Camenae
Sit studium Latiae, cuius tu munere laetus
Saltem aliqua possis inviso excedere saeclo.
Tum si te praeter solitum spectacula laedent
Temporis istius, nec iam substringere bilem
Ira sinet, vitium mordaci incessere versu
Quis prohibet? Satiram non aversatur Apollo,
Atque ubi convenient olim ad certamina vates,
Forsan et hinc cinges victrici tempora lauro,
Te quamvis operamque tuam ridebis inanem
Corrigere inversos aggressus carmine mores.

AD PROCUM SATIRA

Caelibis ergo te subierunt taedia vitae,
Pomponi : nucibus sparsis accendere taedas
Est animus, placitaque hilarare uxore penates.
Hinc te virgineos iam dudum exquirere coetus
Cernimus, et cultu propiorem impendere curam.
Propositum haud damno, quamvis quis dixerit urbi
Coniugium simile obsessae : rescindere vallum
Exclusus properat miles, sibique arce recepto
Otia promittit; clausi contra aggere cives
Evasisse velint et aperto excurrere campo.
Sed ne te nugis ultra morer, accipe quorsum
Evadat sermo. Quae se tibi iungere quaerant
Nullus erit reperire labor, votoque potiri,
Quum multas ducat facies, patrimonia multas,
Corpore tu vero praestes et divite censu,
Plurima certatim perspecta in retia praeda

Decidet : hoc unum moneo ne incautus opertis
Ipse plagis capiare auceps, moveasque cachinnos.
Nil multis, uni refert placuisse puellae,
Indole felices socio quae spondeat annos.
Verum non faciem tantummodo femina fucat;
Quin animi non est vitia occultare tegendo
Cura minor, quam quae deformant corpora mendas.
Improbus ipse procos caecat plerumque Cupido,
Donec frater Hymen reddit sua lumina captis,
Quum prius aut nunquam vellent cessisse tenebras.
  Incessu placido, placido Caesonia vultu
In populum prodit : sensus sine fraude benigni
Translucent oculis, destillant melle labella ;
Unde illam sibi quaeque nurum matercula votis
Exoptat; sed quam ante domus in limine sumpsit,
Personam rediens sub limine ponit eodem.
Cuncta supercilio deinceps terretque movetqne :
Adventu trepidant famulae, vox personat aedes
Stridula, nec lites unquam aut convitia cessant.
Si rixae tibi sunt et bella domestica cordi,
Impressaeve libet soleae supponere collum,
Huic modo nube, virum quando est ductura virago.
  Si non ulla lupo est mulier conspecta priori,
Garrulitate tamen reliquas Cornelia vincit.

Ingenii haec famam placidi mitisque tuetur,
Et non immerito; verum est opica ut nihil exstet
Putidius; quae si totis tibi lucibus aures
Obtuderit blaterans, sermo prope recidit illuc,
Quanti olus et piscis quanti aut gallina paretur,
Quae quibus altilibus veniat magis apta sagina.
  En tibi nunc mentis quae pollet acumine Phyllis,
Doctrinaeque viris poterit contendere laude;
Historias ea quippe putres et scripta sophorum
Perdidicit, terraeque plagas coelique meatus;
Naturaeque etiam leges atque abdita rerum
Eloquio in lucem profert torrente. Quid ultra?
Declamat, psallit scribitque poetria versus
Non adeo viles. Mihi vero edissere, sodes,
Omnia tot studiis dederit quum tempora, quando
Ducere acum didicit, pro re decernere sumptus,
Bubula quo pacto, vervex, anserve coquatur,
Et quae praeterea nuruum provincia poscit.
Adde rudem sibi quod spernet tam docta maritum,
Et partes nolet ferre ambitiosa secundas.
Odi quae nimium sapiunt, leviusque videtur
Scire nihil, quam nil non scire, in virgine crimen.
  Fulta latus sponda, noctem furata sopori,
Secreto Petale librum legit, inque legendo

Palpitat, et vultu profitetur pectoris aestus.
Alterius nimirum Helenae condiscit amores
Furtivosque toros, pulchre ut subleverit ora
Moecha dolosa viro, donec consortia tecta
Fugerit et patriam tuto mutaverit orbe ;
Casibus ut variis acti, post mille labores,
Securo tandem exsilium solentur amore
Illa Parisque suus, nec iam Rhamnusida curent.
At tibi si dominam libri mala fata reservant,
Tu Menelaus eris ! Siquidem omnis curia clamat :
« Is pater est quem iusta patrem connubia monstrant, »
Fors erit ut reddat te uxor fecunda parentem ;
Conscia sed furtim tollet vicinia risus,
Dissimilem tibi progeniem quum luminis orbus
Amplectere, tuumque nothos in nomen ituros.
Dii meliora piis, uxoresque hostibus istas !

Quum se vana diu iactaret flore iuventae
Euphrosine, nullum non fastidibat amantem,
Formae confidens ; sed enim crescentibus annis,
Ut minor atque minor vincli spes facta iugalis,
Tabescit desiderio : manet una voluptas
Dissociare animos, thalamisque avertere pacem,
Ne teneant aliae sibi quod Fortuna negavit.
Inde novae quum se primum tulit obvia nuptae,

« Scis, inquit, mea lux, aliis ut te omni bus unam
Praetulerim, nubenti ut sim gratata libenter,
Ipsa viros licet atque faces exosa maritas.
Hoc magis indoleo quod te nil tale merentem
Vir laedat toties alienis captus ocellis.
Vidi egomet nuper.... sed quid te torqueo frustra,
Quum satius fuerat securam vivere fati ?
Forsitan et me oculorum acies obtusa fefellit;
Quare finge nihil vel somnia vana locutam. »
Quae super his tam lenta ut non excandeat uxor ?
Haec miseram sese clamat, simul instat et urget
Pellicis ut nomen, dein ordine singula noscat.
Illa silet, sed habent haec ipsa silentia vocem ;
Laetaque successu fraudum discedit, amicae
Haudquaquam tacitum linquens sub pectore vulnus.

Sunt istis leviora quidem delicta, sed unde
Fermento quandoque viris iecur aestuat acri.
Pallorem et graciles generosi sanguinis artus
Indicium Catiena putat ; quo nil magis usquam
Formidat, nimia quam ne pinguedine forma
Excidat, aut plebeia genas sibi purpura tingat.
Inde cibos summo vix tangit dente salubres,
Ficedula et pomis mensae contenta secundae.
Quae tamen hinc speranda seges ? Nempe haec fore reris

Ut valida quondam faciat te prole beatum
Enixa, et tumido dulces alat ubere natos?
Fac queat ad iustos partum deducere menses,
Continuo accitus longinqua in balnea mittet
Clinicus effetam, medicata ubi pocula ferro
Ebibat, unde novo reparentur sanguine venae.
Vegrandem interea nutrix alet advena prolem,
Vagitus donec Libitina abrumpet acutos.
 Mobilior mihi si dicetur femina vento,
Trita loquar: quin est quoque idem quae tempore eodem
Vult, non vult, refugit, cupit et contraria sectans
Nec sibi nec domui paulum sinit esse quietis;
Dumque anceps quid agat librato examine mussat,
Hunc similat, quem proposuit Buridanus, asellum.
Si vero trutinae minimum vir ponderis addet,
Ilicet oppositam spectabis vergere lancem.
Quid quae nolenti quiddam extorquere marito
Si statuit, capitis dirum causata dolorem,
Sola latet thalamo, aut tussi quassatur anhela,
Contractisve solo iacet intermortua nervis,
Et misere frendit, morborum dum genus omne
In promptu tenet. Uxorem sanare vel uno
Quum liceat verbo, quid ages? medicaberis aegrae?
Addictus dominae rigido dabis ora capistro.

Propositumne premes, nulloque moveberis astu ?
Immitis te fama manet nomenque tyranni.
  Ecce vagis urbem lustrat discursibus Aegle
Dotem induta suam. Quae tanta negotia quaeris
Sollicitam exagitent. Audi risumque teneto.
Inventos here prima cupit proferre paratus,
Daedaleas vestes, peplum, redimicula, baccas
Exstructaeque comae non enarrabile textum,
Immodicoque ea dum figit vestigia talo,
Duplicibus iures pendentem insistere grallis.
Sic longas terit usque vias, atque inter eundum
Respicit an recte tumeat sibi sericus agger
Sub dorso, fingitque sinus iterumque refingit,
Hylonomesque refert habitus et sessile tergum.
O varium genus et praepostera in omnia pronum !
Illa eadem cui plus campi modo cyclas obibat
Quam castris regum tentoria, si volet usus,
Vix poterit bene captivos extendere gressus,
Veste arcente pedes ; nodo tum tortilis omnis
Solvetur coma Gorgoneas imitata colubras.
Spectandum sed enim postquam se praebuit urbi,
Papilio positis laris in penetralibus alis,
Fit bruchus squalens, digito quem tangere nolis.
Munditiis iam nullus honos ; foeda omnia circum

Obsidet illuvies; rerum confusus acervus
Undique: suspensus quid contemplere rogabis,
Anne gynaeceum aut vendentis scruta tabernam.
  Quum primo concreta gelu vaga flumina torpent,
Nacta Neaera lacus subdit talaria plantis
Ferrea curvataeque aciem referentia falcis,
Atque immixta viris scindit loca lubrica gyro
Multiplici. Qualis, nidos quae condit, hirundo
Itque reditque frequens et pennis circinat auras,
Non aliter secat illa vias pede pendula docto.
Turbinis in morem nunc impetus ire per aequor,
Scribere nunc amor est volucri sua nomina talo,
Cancrorumve ıeferre retro vestigia ritu.
Pernicem at si forte tenet palea obvia lamnam,
In crustam, heu, resupina cadit foedeque recumbens
Volvitur, attritosque solo vix allevat artus.
Erigit hanc iuvenis miserans, risuque silenti
Prosequitur claudam et liventia membra trahentem;
Sic mensas Hebe exhilarat revoluta Deorum.
Ast ubi vere novo Zephyris incanduit annus,
Nil eadem prisco herois deterrita casu
Ecce rotis fidit geminis equitare, priore
Posterior quarum protruditur orbis ab orbe.
Cruribus ut pressit contracta sedilia varis,

Praetentatque viam libratque haud nescia corpus.
Prona haerens duplici capulo genibusque coruscat
Alternaque movet versatque manubria calce,
Impulsumque axem properante volumine torquet,
Atque fuga crines retro dat spargere ventis;
Tum rabidis per rura canes latratibus instant.
Praemia si stadio ponas, non hanc Atalante
Praetereat, non Hippodame neque Volsca Camilla.
Cui cursus voveo faciles nullosque recursus.

Nulla adeo platefs, vico iam nulla frequenti
Porticibusve fides. Tribuent sed forte quod optas
Nocturni tibi conventus hilaresque choreae.
Eia age, tendamus quo nos litui aere canoro
Et vario invitant splendentes ordine lychni.
Praevia festivis successit Cynthia tectis,
Cynthia, Terpsichore proprias cui tradidit artes.
Aspice nuda sinus qua se vertigine Maenas
Circumagat, cupidis iuvenem complexa lacertis.
Turbine rapta solum nivea vix tangit aluta,
Huc illuc obversa : volant a vertice serta.
Nec minus interea blandos bibit aure susurros,
Nuptaque verba refert, iam pridem oblita pudoris.
« Nullane, ais, mater superest, quae rite puellae
Corripiat mores ? » Imo est prope, si modo mater,

Nec melius natae mulier tibi lena vocetur.
Picta genas minio, curtata veste superne,
Pro forma gaudet formae ostentare ruinas
Et campos ubi Troia fuit. Melioribus annis
Iura dabat regina, virum stipante corona,
Quos inopes animi facies muliebris adurit,
Subiectumque gregem nutu imperiosa regebat.
Nunc quoque natales postquam non computat ultra,
Turbaque diffugit cultorum, non tamen artis
Immemor illa suae iuveniliter usque renidet,
Compositoque dolet, quosvis bona sumere vultus.
Quin et desueto suffuderit ore ruborem,
Attritae nisi densa vetent tectoria frontis.
Cetera quae rapuit, rationem haud attulit aetas,
Dum seros sub canitie meditatur amores.
En quae virgineos sensus infundat alumnae,
Exemplisque animum monstret servare pudicum !
Vin' accedamus ? partes se vertet in omnes
Callida, filiolam tibi si qua obtrudere possit.
Quam bene, Pomponi, tibi erit si coniuge tali
Et tali potiere socru ! Vetulane videtur
Turpius hac quidquam ? Nemo pol non neget ; atqui
Deterius datur et magis exsecrabile monstrum.
Nimirum exhibeat qualem se cunque parentem,

Est tamen illa parens ; sed quo vos nomine dicam,
Dedecus o magnum nostrique infamia saecli,
Nuptarum laetae titulo quae munera matrum
Respuitis, sterilique, nefas, per crimina ventre,
Et patriam et superas fraudatis civibus arces ?
Usque adeo timor est tenerum ne fronte decorem
Excutiat partus gravis, educendave proles
Attenuet nummos, luxus alimenta nefandi.
Scilicet hos nobis immisit Gallia mores,
Gallia sola super cui magniloquentia virtus.
Sed quid ego aggredior dictis incessere monstrum,
Quo mea plectendo nunquam exsaturabitur ira,
Non si crebra mihi vibrentur fulmina lingua,
Eumenidum non si liceat tractare cerastas ?

Nunc ad te ut redeam, quando non te alea terret
Coniugii, caecae ne dones omnia sorti,
Millibus in multis studio circumspice cui te
Devincire velis ; at si non digna pudendo
Implicitum teneat nodo versetque puella,
Vincula solve citus, solvi dum vincula possunt.
Nec nascens si pugnet amor, pariatque dolorem
Discidium, causas ideo tibi finge morandi.
Commoda saepe brevi non parva dolore parantur :
Ille probe novit cui dens vitiatus adunco

Correptus ferro, obliquo molimine dextrae
Vellitur, et comitum luctans ex ordine cedit.
Affixus sellae, rictuque misellus hianti
Exululat, lacrimarum oculis dum rumpitur imber.
Mox exsurgit ovans quod sit radicitus atri
Causa ablata mali, liceatque admittere somnos.

Tu tamen a nostris torques sermonibus aurem
Frigidus, ut laterem videar lavisse monendo.
Quin rides, et: « Da veniam: mihi contigit, inquis,
Quam non ipse queat, si tentet, carpere livor,
Tam frugi est, solers, alacris, formosa, pudica,
Ingeniosa.... » Tace, satis est; ignosce molesto,
Qui maris insidias et tecta pericla canebat,
Quum tibi iam staret defuncta in litore puppis.
Sirenas breviter prosit memorasse nocentes,
Materiam quum vix caperet liber unus et alter.
Quandoquidem Superis in te tam prona voluntas,
Duc, bone, duc hodie, ne tot vanescere dotes
Forte prius videas sumat quam flammea virgo.
Nunc tibi gratari iuvat et bona dicere verba;
Tum si post taedas nil demere laudibus istis
Ipse voles, Phario plaudam phoenice reperto.

IN MULIERES EMANCIPATAS

SATIRA

In quasdam me fors nuperrima duxerat aedes,
Plurima quo celebri confluxit femina coetu
Illarum e numero, sibi quae quod gratia sexus
Omnis abest, fluxae vel quo dispendia famae
Solentur citius, priscas invertere leges
Non dubitant, populisque novos inducere mores.
Illic in speculis latitans tectusque columna,
Quae ventura forent chartis mandare parabam.
Continuo in mediis sese muliercula profert,
Significatque velint sermonum abrumpere murmur.
Frons illi pudibunda parum propiorque virili
Cultus erat: facie exhibitos manifestius annos
Non bene celabat pulvis spissatus oryzae.
Conscriptas ergo circumspicit undique matres,

Desuetisque aegre quum facta silentia linguis,
Stridula suggestu sic ora resolvit ab alto:
« Vos iubeo salvere, mihi quas nobilis ardor
Praeclaris operum comites adiunxit in ausis.
Qui valeam dignas vobis persolvere grates,
Mi quando, rudibus licet officientibus annis,
Praesidis officium voluistis tradere vestrae.
Quod nos propositum huc commune coegerit omnes,
Non est cur referam, siquidem mens omnibus una est,
Stulta quibus nos credulitas et tradita priscis
Relligio inclusit, scelerata refringere claustra.
Arduus ille labor, nec quem pervincere posse
Confidam, nisi praestet opem de gente Britanna
Vir quidam ingenio pollens dignusque profecto,
Cui nostris manibus surgant de marmore signa.
Huius ego evolvens libros, quae maximus auctor,
Historicos fines transgressus, mente sagaci
Perspexit, paucis, animos advertite, pandam.
Imprimis mihi non tanta vos nocte teneri
Certa fides, ut nutricum commenta secutae
Humanum genus a gemino fluxisse parente
Credatis, pomumque illis nocuisse comesum
Uxoris monitu, mendax quam luserit anguis.
Iam satis atque super ficto pro crimine poenas

Pertulimus: ratio nos culpae absolvit avitae,
Longe alia dum prognatas ab origine monstrat.
Scilicet ut casu terrae concreverat orbis,
Sole tepente gravis tellus animantia fudit
Imperfecta quidem, quae vix dignoscere possis,
Sed tamen et motu et vitali praedita sensu;
Non aliter quam tabenti de funere vermes
Sponte sua prodire solent. Volvente sed aevo
Naturae instinctus meliores quaerere formas
Deque sua inter se iussit contendere vita.
Dum gravitate sua quaedam labuntur in undas,
Pars submersa perit, partem miser exitus egit
Spirandi mutare modum: sic flumine pisces
Illudunt, victumque petunt a pisce minori.
Verum aliis, dum perpetuo nituntur in altum,
Seu praedae studio, fieri seu praeda verentes,
Succrescunt sensim plumae, rapidaeque volucres
In liquidum sumptis evadunt aethera pennis.
At quibus est calcare solum nativa cupido,
Prosiliunt nexosque citant compagibus artus.
Sic aliae atque aliae species in tempore surgunt,
Et variis quae suppeditat natura novatrix,
Arma movent; namque ut duxit sua quamque libido,
Optarunt ungues pedibus vel cornua fronti,

Libera quum rata sit cuivis selectio formae.
Scorpius extremo minitatur acumine caudae ,
Lorica et gemina confidit forcipe cancer ;
At rigidis horret vallata hastilibus hystrix,
Et glomerata canum rictus eludit hiantes ;
Praesidio est astus vulpi, fuga concita damae ;
Vasta elephas se infert mole atque proboscide tutus.
Quid tigres memorem, quid semina dira leonum ?
Quos inter non mente minus quam corpore velox
Cercopithecus adest : huic eia assurgite, matres :
Humanae stirpis vobis ego trado parentem.
Nempe aviae, si nescitis, per saecula nostrae
Erravere iugis, illarum et more ferarum,
Nunc pede, nunc cauda librabant corpora ramis
Suspensae, celerique manu obvia poma legebant.
Quas circa maribus pugnas surrexe cruentas
Crediderim, et victori illas haesisse volentes,
Usque recens donec priscum trudebat amorem ;
Namque vagabatur, nec sistere noverat usquam
Lege solutus amor, nec plus vir iuris habebat
Quam mulier, neque enim iura importuna vigebant.
Quaeque adeo mater non certo patre creatam
Edebat sobolem, depulsam ab lacte nec ultra
Respiciebat amans iam sese oblita parentem.

Hosce diu ritus atque hanc tenuere figuram ;
Omnia sed longo quoniam vertuntur in aevo,
Corporis et cultus iam tum variare iuvabat,
Cum cauda posuere pilos, aurisque cacumen
Curtarunt decoris studio ; mensura comarum
Longior evasit, nec non assurgere nares
Paulatim coepere pedumque rigescere plantae
Iam minus atque minus ramorum ascensibus aptae.
Dein ubi senserunt nervis increscere suras,
Tollere corpus humo, speculentur ut eminus hostem,
Mos subiit sensim rectoqne incedere trunco.
Inde novus terris animans vestigia pressit.
Simius hic an homo fuerit si forte rogatis,
Neuter erat, medium quando inter utrumque tenebat.
A dextra sed enim postquam discernere laevam,
Per digitos numerare, isdem sibi prodere sensus,
Atque prior certas emittere femina voces
Contracta instituit bucca, tum denique primos
Expletis homines numeris prodisse putandum est.
Plurima sub dio miseri aut nemoralibus antris
Saecula durarunt generatim, membra ferinis
Incincti spoliis : contracto frigore multos
Abstulit acris hiems ; multi sub dente ferarum
Invenere necem, donec commune periclum

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] hoste.
[illegible]
[illegible]
[illegible] cerebro.
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] umbris
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Nativisque fuit villis? Nunc surgere tempus,
O sociae, timidum nunc denique ponere sexum,
Barbatumque genus male partis pellere regnis. —
Nos autem superant barbati viribus; — Esto:
Cetera si excutimus, numquid torrentius illis
Quam nobis fluit eloquium? versutius anne
Ingenium est praesto technarum et copia maior?
Illecebraene pares similisque potentia formae?
Nonne ea censetis potiora virilibus arma?
His facite accedat quandoque audacia felix,
Et stola cum braca bello contendat aperto,
Quid non vincet et ad quos non emerget honores
Missa manu mulier nullique obnoxia freno?
Non ego lacrimulis blandas miscere querelas
Suadeo; saepe virum quamvis fortissima frangunt
Pectora, verum animi sunt argumenta pusilli.
Vos modo luce palam iunctisque umbonibus hostem
Impetere admoneo, belli modo fallere furtis.

Fabula de Lyda nulli non nota puella,
Cuius ad arbitrium famularia pensa feruntur
Herculeae traxisse manus. Quam saepe minaces
Expavit dominae vultus Tirynthius heros,
Oraque feminea gessit liventia dextra!
Nec tamen hunc immite iugum tolerare pigebat:

Formosis adeo non est violentia fraudi.
At tibi desertae, timida et mitissima frustra
Deianira, nihil praeter plorare relictum est.
Amphytrioniadas nullos haec educat aetas;
Quo magis e facili nostrum, modo cornua sumat,
Quaelibet Omphale erit sceptrumque tenebit herile.
Nil mihi cum maribus; me si tamen ambiat unus
Coniugium poscens, haec illi foedera sunto;
Ne mea docta unquam me vilibus otia curis
Permutare velit, quoties sed iusserit uxor,
Ipse lavet pannos doctus torquere madentes,
Inque loco aprico tenta suspendere reste;
Sarciat et laceros, parcaque aspergine tactos
Exaequet manibus solers ferroque calenti.
Dein scopa penetrale domus atque atria verrat,
Cumque putri squalens descendat aranea texto;
Nec volo cura illi fuerit postrema culinae,
Sed scite tractet quam monstrat Apicius artem.
Si vacat esse pater parvamque educere prolem,
Insomnis moveat cunas, crepitacula quasset,
Horrisonos quo vagitus compescere detur,
Gingivam simul ac tendunt perrumpere dentes;
Aut pulmenta coquat teneris pappanda labellis,
Neve ea praetereat melius quae indicta relinquo.

At capere ampla putet sudoris praemia, quod non
Res iubeam sibi habere suas et cedere tectis.
Ista viri peragant, vecors aut femina si qua
Coniugii nondum servilia vincula rupit:
Nos maiora vocant: rerum perquirere causas,
Ingenuasque animum iuvat exercere per artes.
Ringantur licet, et coelum miscere profundo
Usque viri tentent, stat nil non noscere quae nos
Scire vetant, et quas fixere refigere leges;
Conveniuntque novis siquidem nova nomina rebus,
Nos medicas porro, doctrices causidicasque,
Scriptrices oratricesque sophasque salutet
Vulgus, et his iam nunc assuescat vocibus aures.
Mox, ubi constituet sublimis curia plebi
Iura, senatrices miretur turba verendas.
Haec summa, huc nos unanimes tendamus oportet,
Propositamque dabit nobis concordia palmam. »
  Desiit hic mulier, plausuque excepta recessit;
Nec mora, sex septem detur sibi copia fandi
Exposcunt; simul iniussae, haud obstante decore,
Scandere suggestum certant, seque inde vicissim
Deturbare volunt: nequicquam voce manuque
Corripit indomitas suadetque silentia praeses.
Ilicet omnis abit studia in contraria coetus,

Illius haec partes, huius quando illa tuetur,
Et reliquas magno stridore explodere quaerit.
Continuo: « Taceat Chloris, Priscilla loquatur. » —
« Imo inquam, dicat Thymele ; tu Paula taceto ;
Insulsa obgannis. » — Simul hoc, simul undique toto
Turbatur campo : miserae praenuntia pugnae
Iurgia crebrescunt ; tandem, gliscente tumultu,
Per vacuum raptos vidi volitare galeros.

PULICES

Femineum quando Martem et nova condere bella
Accingor, tu dextra meo succurre labori,
Calliope, vatisque favens illabere menti.
Sic placidos capias umbra in Parnasside somnos,
Nec tetrae tibi dura ferant incommoda pestes,
Mortales coniuratae cruciare puellas.
  Virgineo postquam languentia membra cubili
Cynthia composuit, studio lassata placendi,
Suspenso ingressus thalami pede limina Morpheus
Fit propior spondae, manibusque papavera quassans,
Haustos Lethaeo spargit de flumine rores;
Flabra movet pennis, et conciliantia somnos
Carmina vix intellecto demurmurat ore.
Verum ubi non ulla quidquam profecit ab arte :
« Haec vel amat, dicit, vel acu maga noxia saeva
Absentem cruciat, simulacraque cerea figit. »

Falleris o Morpheu : nil tela Cupidinis istic,
Sagave turpis agit, caput exsecrata iacentis ;
Nec tamen illa tuis potis est succumbere donis,
Tempus in exiguum vel si declinat ocellos.
Somnia discruciant animum ; sibi quippe videtur
Nunc lacerata rubis, acri nunc usta favilla,
Quodque magis miserum, qui turbavere quietem,
In vigili perstant sensus, velamina tanquam
Pestifero Nessi sumpsisset lurida tabo.
Heu quid agat ? mutare latus nil saepius aegrum,
Nil iuvat assidua componere pallia dextra.
Quod superest, horas segnes lucemque morantem
Increpitat, stellisque iacit convicia surdis.
Non alias tam lente egit sua plaustra Bootes,
Nec, si vera ferunt, nocte ibat tardior illa,
Alcmenes quam famosus geminavit amator.

Ergo ubi prima facem Pallantias extulit Eos,
Prosilit e stratis, iraque accensa puella :
« Mene, ait, indignam tantos perferre dolores,
Et solam placidae non noscere munera noctis ?
Nempe ferox nostro gens insidiata sopori,
Dente venenato devotos occupat artus.
Proh superi, quid tantum in vos admittere quivi,
Ut per mille animam hanc compellar ponere mortes ?

Nam mihi non sunt immitis violata Dianae
Numina, nec tristes merui persolvere poenas,
Quas luit Actaeon rabidis data praeda molossis,
Certe ego Iunonem minime laesi improba furto,
Inachia ut pellex, stimulo acta instantis asili
Quae subitis vastum implevit mugitibus orbem.
Felix, o iterum felix Cepheia virgo,
Terrificos monstri cui dum formidat hiatus,
Assertor se affert, et in assertore maritus !
Me si nullus adest, dextra qui vindice servet,
Perseus, atque datae poscat sibi praemia vitae,
Ipsa ego congrediar. Quamvis non gloria factum
Extollet, nostrum neque erit memorabile nomen,
Suppliciis tamen est animum explevisse voluptas.
Per te perque tuas iuro Dictynna sagittas,
Per fratris caput intonsi nymphasque sequentes
Suscepto prius haud studio discedere, poenas
Quam dederint avidae exsucto pro sanguine pestes. »

Tantum effata torum petit, et lodice remota,
Strenua confertos invadit cominus hostes.
Hanc stimulat furor et vindictae arrecta cupido ;
Hos agit admissae nimium mens conscia culpae ;
Nec iam pugnam ineunt alacres, Martemque lacessunt.
Sed subito trepidare metu, et fugere, et dare longos

Cruribus excussis saltus, properantia si qua
Rumpere fata queant : hoc acrius illa sequaces
Mittit utroque manus, digitisque micantibus instat.
Alipedes ita vel medio rapit impigra saltu,
Quotque tenet captos inflexo pollice mactat.
Quin miseros etiam dictis illudit amaris :
« Non nostro posthac scelerabitis ora cruore,
Nostra nec innumero carpetis viscera morsu ;
Ne tamen excrucient umbras ieiunia sontes,
Mollior ipsa cibum de se praebebit Erinnys. »
Quae loca disiectis vidit modo fervere turmis,
Vasta iacent : quacunque patet vacat hostibus aequor.
Scilicet e capitis cita quos discrimine summo
Eripuit fuga, diversos petiere receptus.
Non minus invisit Lynceo lumine campum
Rimaturque sinus virgo : tum corpora quaeque
Abdita vestigat, multum indignantia frustra
Protrahit in lucem, Stygiis damnanda tenebris ;
Nec prius absistit vasta quam caede peracta,
Cognatoque suoque natantia sanguine linquit.
Unus avos atavosque dies tenerosque nepotes
Interimit : cessant volventes stamina Parcae.
Non simili exstincta est Priami domus inclyta clade,
Nec tot vidistis Fabiorum funera Veii.

Miratur parvos sua regna irrumpere Manes
Pluto, sibique timens iactat Proserpina vestes.
Interea manibus lymphas infundit Amazon,
Exsultatque animis, ceu Thermodontis in unda
Quum lavit Hippolyte defessos caedibus artus.
At mihi vos, umbrae liceat deflere, recentes,
Alloquioque graves leni compescere luctus.
Ante diem quamvis subiistis Tartara fato,
Urnaque non cineres capiet pretiosa supremos,
Magna tamen diri vobis solatia casus
Sors miserata dedit, roseo periisse sub ungue,
Invideant quali Charites vel mater Amorum.
Hoc primum ; tum si modo non fiducia vati
Exsuperat vires, non vos hominum eximet ore
Longa dies, sua dum constabit gratia Musis,
Vestraque ad extremos penetrabit fama Batavos.

LIBER IV

IUDITHA

IUDITHA

Musa profana sile: non hic mihi ficta canendo
Laurea captatur fragilis: miranda profecto,
Vera tamen referam, monumentis eruta sacris.
Tuque adeo, pietas cui coelum animosa reclusit,
Tu, Iuditha, tuae lux o clarissima gentis,
Ipsa veni, vatique favens in carmina vires
Suffice, servatam merita ne caede tyranni
Dum memorat patriam partosque tibi, alma, triumphos,
Argumento impar sublimibus excidat ausis.
Iuncta modo Assyriis Babylonia regna tenebat
Contemptor tumidus iusti rectique Nabuchus [1],
Quem, centum proprias quamvis possederit urbes,
Usque tamen bello populos turbare propinquos
Suadebat nondum imperii satiata libido.

[1] Quod ex barbaro et arti metricae repugnante *Nabuchodonosor* *Nabuchum* fecerit, non se a cordatis viris reprehendendum poeta confidit.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Ecbatana [illegible] dederunt [illegible].
At minus [illegible] commendat [illegible]
Quam feritas animi, et nulli quod parcere [illegible]
Sueverit: in quascunque ferox agit agmina partes,
Antevolat terror, luctusque odiumque sequuntur.
Haud latet Hebraeos quibus impia bella parentur,
Quasve sit in terras sese effusura procella;
Sed numero ne succumbat veriti obruta virtus,
Non acie instructi committere proelia curant.
Aerias arces tantum atque angusta viarum
Obsidunt, valloque aditus praecludere certant.

Finitimas postquam domuit formidine gentes,
Et late omne solum ferro populavit et igne,
Nec sacros metuit lucos violare securi
Assyrius ductor, Galilaeas occupat oras,
Inque tuis, Zabulon, ponit tentoria campis.
Est illo in tractu, — Bethuliam nomine dicunt, —
Urbs fossis varioque loci munimine tuta,
Qua non parte vetat praecisa accedere rupes.
Hanc petit, huc propero cursu trahit ille suorum
Quot Niniva abduxit secum et quot millia nuper
Auxilio gentes sine vi iunxere subactae.
Legatos bis sex perituram mittit ad arcem
Terrificos vultu, membris et mole valentes,
Praeconemque suis iubet haec edicere verbis :
« Di coelum reliqui, terrestria regna Nabuchus
Possidet, ipse Deus, cui turea dona volentes
Ferte focis, praesensque vocare assuescite numen.
Sin minus, hanc aequare solo cum moenibus urbem
Stat mihi : tum fixosve cruci gladiove petitos
Imperium sero regis temerasse pigebit. »
Vox ea turbatis ubi civibus impulit aures,
Dant capiti cineres, hirsutaque fascia lumbos
Urit, et orando numen coeleste piatur.
Instituit teneros mater procumbere natos,

Et nondum sontes ad sidera tendere palmas.
At quibus accedunt laetae pubentibus annis
Aut serae perstant vires, iuvenesque senesque
Tela citi expediunt, seseque hortantur in hostem.
  Verum ubi nil audit iussa effecisse superba,
Fertur in Hebraeos immani barbarus ira,
Quod soli bellare parent, solique pudendam
Supplicibus pacem dubitent exposcere votis.
Quandoquidem non portarum rescindere claustra
Spes datur, exstructos ductus abrumpit, in arcem
Pensilibus vectant gelidos qui pontibus amnes,
Atque suburbanos fontes custode coronat.
Quae modo marmoreis garribat deflua labris,
Unda repressa silet; putei demensa viritim
Pocula si praebent, mox his quoque deficit humor,
Nec suspirati rumpunt se nubibus imbres.
Hinc magis atque magis stringit sitis arida fauces,
Infringitque aegris animos, carpitque vigorem;
Et iam non loricam humeris clypeumve sinistra
Sustentare valent, fessique caloribus actis
Ore trahunt patulo noctis sub tempore frigus,
Vixque parant haustus collecto rore malignos.
Quos ubi ceperunt ingratae taedia lucis,
Incendunt proceres, densissima turba, querelis,

Oziam ante alios, rerum cui credita summa est; —
Nam scelerum captus poenas rex ipse luebat[1]: —
Utque solent miseri, submissis iurgia verbis
Adiiciunt: plebi male consuluisse regentes
Imparibus bellum committere viribus ausos,
Et quas vel Cilicum populi vel fortis Idume
Horruerint, sese invictis opponere turmis,
Nunc saltem ducis adversi lenire furores,
Qua detur, properent, et pacis poscere legem:
Servitium se malle pati aut occumbere ferro
Quam lenta perimi languentia corpora tabe;
Nil opis in coelo, nec enim exorabile numen
Criminibus laesum toties patrumque suisque.
Ancipiti Oziae curarum hinc assilit agmen,
Momentisque animum paribus diducit utroque.
Cedere non tantum impellunt convitia plebis,
Exsanguis quantum pallor macieque suprema
Extenuati artus: votis obsistere suadet
Relligiosa fides et frangi nescia virtus.
Ingemit et tandem sic moesta silentia rumpit:

[1] Quum in libro Iudith nusquam Israelitarum regis nomen inveniatur, Bethuliam tempore captivitatis regis Manassae oppugnatam coniiciunt.

« Quae nobis dubiam inclinet sententia menetm,
O fratres, audite : dies mihi quinque paciscor,
Quod citra exiguum, sic fas confidere, tempus
Mittet opem populo precibus placabile coelum.
Sin aliter, meliorque caret fortuna regressu,
Vestra erit invito, sed erit pro lege voluntas. »
Pollicitis vulgi mansuescit mobile pectus,
Deferventque irae : mala iam leviora videntur,
Qualemcunque datur quorum praesciscere finem.
Ignavo sed enim resonat dum curia planctu,
Interiore domus mulier seclusa recessu
Assiduis coelum precibus lacrimisque fatigat,
Ne velit externo patriam transcribere regno.
Huic coniux fuerat clara de gente Manasses,
Quem postquam, rabido messi dum praesidet aestu,
Mors rapuit properata, Deoque sibique vacabat,
Susceptumque licet socii sibi pignus amoris
Non esset, viduum servabat casta cubile,
Nobilium votis nequicquam optata procorum.
Primaevae quamvis floremque decusque iuventae
Fronte gerit, formaeque bonis supereminet omnes,
Stare immota fide dilectae destinat umbrae.
Plurima quando illi coniux armenta reliquit
Balantumque greges et latis pascua fundis,

Ipsa cibo tenui et minimo contenta paratu
Munifica cives dextra sustentat egenos,
Non sibi sed miseris dives : cura altera templi
Instaurandus honos, miro quod amore revisit.
Quo maiore hominum studio commercia vitat,
Hoc magis elucet fama : venerabile plebi
Iudithae iam nomen inest ; quin ipse sacerdos
Illius cupit in dubiis exquirere sensus,
Afflatam siquidem divino numine constat.

Cui quum sollicitae vulgi convitia iusto
Plus valuisse ferunt, urbi impendere ruinam,
Iamque prope immissos hostes, arcessere mandat
Rectores populi, quos talibus excipit orsis :
« Ut tulerim saevos hac tempestate dolores,
Altius Ozias hodie mihi vulnus adegit,
Qui, si vera ferunt, supremi est numinis ausus
Scrutari consulta, diemque indicere coelo.
Siccine posse putat finem sperare malorum,
Criminibusque novis noxarum avertere poenas ?
At sitis atra furit suppressis fontibus : — esto ;
Num vos forte latent firmo quos pectore casus
Abraham pater et Moses aliique tulerunt
Insignes pietate viri ? Pro munere vestro
Vos decuit monitis animos firmare labantes,

Atque evolventes aevi monumenta prioris
Commemorare Deum mitem veniaeque paratum.
Aut minus ille potens hodie, quam vindice dextra
Assyrias vires sub nocte ubi contudit una,
Ezechiamque pium diro servavit ab hoste ?
Aequora vel patribus fecit quum pervia nostris,
Aequoribusque acies Pharias submersit iisdem ?
Nonne alias populus per siccas devius oras
Quaereret optatos avido quum gutture fontes,
Elicuit vivo currentia flumina saxo ?
Prava patrum certe non nos exempla secuti
Conflatos auro vitulos decoravimus aris ;
Quare haud nostra caret iusta fiducia causa.
Quin, nisi me veri vanam praesagia fallunt,
Et mentita viri in somnis hortatur imago,
Quamlibet imbellis fessos haec dextera cives
Asseret, et iam iam ruiturae consulet urbi.
Parcite quid mediter scitari, at nocte dieque
Fundite rite preces, Patremque rogate supernum,
Det mihi se facilem, coeptisque ingentibus adsit.
Verum ubi decedent vicinae sidera luci,
Impulsae pateant quaeso mihi robora portae :
Hoc opus in vobis, reliquum permittite coelo. »
Assensere viri quorum spes addita votis,

Nec sibi turpe putant sanctae concedere vati.
Illa ubi per noctis divinam impensius horas
Exoravit opem, et discrimen in omne paratam
Propositi admonuit maturo Lucifer ortu,
Expedit ornatus omnes, melioribus annis
Quos gessit nondum rapto placitura Manassae,
Nunc memor exstincti lacrimis irrorat obortis.
Induitur tunicam lino candente fluentem,
Et Tyrio pallam sumit bis murice tinctam ;
Sandalia excipiunt teneras exilia plantas,
Sed minimo ampla pedi : baccata monilia collo
Dependent : nardo redolentes mitra coercet
Picta comas, quam subnectunt redimicula mento.
Aure nitent gemmae : teretes armilla lacertos
Alligat, et digitis rutilo micat annulus orbe.
Talis erit facies, talis tibi, Edissa [1], paratus,
Fratribus infensi flectes quum pectora regis.
Praestat opem dominae ornatrix maturior aevo,
Parvula qua posuit vestigia prima magistra,
Imponitque manum cultu studiosa supremam,
Castigatque sinus, formaque superbit alumnae.
Functa ministeriis pera, sic iussa, reponit

[1] « Qui fuit nutritius filiae fratris sui *Edissae*, quae altero nomine vocabatur *Esther*. » Esther II. 7.

Oenophorum plenumque utrem flaventis olivi,
Coctana tosta simul, panem lactisque coacti
Candentes glebas, in quinque cibaria luces.
  Dispulit ut coelo stellas aurora micantes,
Excedunt pariter tectis, portaeque propinquant,
Composito Ozias quam tunc statione tuetur.
Munditiis stupet ille novis deceptus, et ultro
Compellat dominam : velata haec vestibus ora
Detegit, exhibeatque fidem petit agnita pacti.
Obsequitur senior, secumque volutat amictus
Quid sibi praedives velit auctaque gratia frontis,
Quid comitis fidae quae pendet sarcina collo.
Discedunt bifores versato cardine valvae,
Atque patet liber superato limine clivus.
Vix profugis tantum spatii post terga relictum
Missa levis cornu quantum transmittit arundo,
Et globus occurrit vigilum, dominamque priorem
Stare iubet, spissaque premit circum undique turba,
Ne fors effugio quaerat deprensa salutem,
Iniectaque manu capitis velamina miles
Detrahit : ut patuit facies, vox una per agmen :
« Ipsa capi poscunt tales quae moenia formas
Asservant, spondentque viris ea praemia pugnae. »
« Quo citius, sic illa inquit, victoria vobis

Rideat, huc veni, dum me penes exitus anceps
Armorum. Sine me modo qui non sanguine parvo
Nec modico mercandus erat sudore triumphus.
Continuo per me ducentes otia viset.
Explorata mihi Solymae quaecunque regentes
Conciliis egere suis, quas corde recondunt
Insidias, quae furta parant, unde arma morentur
Assyria, et tristem possint producere vitam.
Verum ego quam longae premit obsidionis egestas,
Omnia constitui quamprimum effere sub auras,
Ne saltem infelix morituris civibus addar.
Quocirca nostros ducis ad praetoria gressus
Dirigite: officii merces vos digna manebit. »
Dicta placent: captae gratantur et utile laudant
Propositum, nec se comites adhibere gravantur.
Carpitur acclivis curvo via calle, iugumque
Exsuperant, Holofernis ubi tentoria surgunt
Splendida, non aulis regum cedentia luxu.
  Ut subiit mulier nitidos testudine postes,
Excipit hanc ductor sponda subnixus eburna,
Cui, mirae artis opus, violentae insignia gentis,
Quattuor aligeri supponunt terga leones.
Adspectu stupet, et caeco consumitur igne,
Dum genus atque viae causam scitatur ab ipsa.

Tunc fraudes meditata pias, commentaque veris
Iuditha involvens versuto ita pectore fatur :
« Sospite sic longum sospes laetere Nabucho,
Et tua transcendat terrarum gloria fines,
Ut non vana loquar. Quid enim hunc ego fallere demens
Aggrediar, cuius lato non bellica virtus
Notior est orbi vastae quam mentis acumen ?
Quando ea te tangunt, miserae huic fecere parentes
Iudithae nomen : Simeon mihi gentis origo,
Diruta quo raptor vidit sua moenia Sichem.
Iunctae olim thalamis pulchra de stirpe Manasses
Ante diem praereptus opes transmisit avitas,
Exigua orbatae magni solatia luctus.
Sed quid opum meminisse iuvat stirpisve decorae,
Captivae quum nil proprium fortuna reliquit,
Inque oculis atro mersantur funere cives,
Numine quos laeso virtus temeraria tristi
Implicuit bello, cladique obiecit acerbae ?
Abruptoque loco et structo munimine freti
Producto adversas absumere tempore vires
Speravere, tuisque moras innectere turmis,
Nec reliquis subiit quantum ductoribus exstes.
Cur vitalis aquae nostris defecerit usus,
Non te causa fugit : quid, quod super, altera pestis,

Obsessos torquent inopi ieiunia victu ?
Septem abiere dies ex quo non arida dulcis
Colluit ora latex, nec adorea munera norunt.
Vidi egomet, vidi stratos per compita passim
Exspirare animam, nec adest qui corpora curet
Tollere humo, et miserans patrio mandare sepulcro.
Nunc quia fasque nefasque exspes confundit egestas,
Addita criminibus ne desint crimina priscis,
Incesto pecudum statuerunt sanguine vesci,
Et quas vel manibus vetitum tractare profanis,
Primitias frugum sacras convellere morsu.
Idciro Deus infidam tibi tradere gentem
Constituit noster, qui temperat omnia nutu,
Rex regum, mundi sator atque aeterna potestas,
Quem vel te praesente metus immunis adoro.
Illo auctore suae veni tibi nuntia mentis
Atque ministra simul : quare ne respue servae
Verba tuae. Promissorum si vilior obses
Visa ego, mox dabitur pignus Bethulia superbum.
Iam mihi per Solymam videor praecedere currus
Laeta tuos, gemitusque inter lacrimasque meorum
Clarum Hosanna tibi Iudaeo fundere ritu.
Ad ferra bella rudis quo sperem vincere pacto
Inceptum ne quaere : viamque modumque docebor,

Si modo, quum peraget medios nox humida cursus,
Ima petam vallis, lymphaque abluta recenti,
Quae rata sunt nobis, supplex oracula poscam.
Praecipue hoc moneor tactus ut cauta viriles
Effugiam : quare tibi si cita gloria cordi,
Vim prohibe, quam venturi mens provida passae
Excidet, atque omnis pro te mea cura peribit. »
Sic effata solum demisso poplite tangit,
Admovet et genibus palmas affusa tyranni.
  Ille sonum vocis, non voces percipit ipsas
Iamdudum, visu sed enim flagrante tuetur
Orantem, subitos iam iam fassurus amores.
 At sibi commissi custos Deus ipse pudoris
Plus quam mortali Iudithae instruxit honore
Ingenuos vultus et maiestate verenda.
Quicquid id est, certe sibi quiddam obsistere sentit
Barbarus, et licet indignans mala gaudia differt.
Semimaris profugam hospitio curaeque Bagoae
Mandat, opum vigili cui credita summa suarum ;
Et bene conveniunt quoniam prudentia nusquam
Ac vesanus amor, dominae comitique rogatus
Qua libitum detur spatiandi copia castris
Edicit : tormenta simul mortemque minatur,
Alterutram si quis facto verbove procaci

Incessat, timidisve metum facere obvius ausit.
Ergo volvuntur medio quum sidera lapsu,
Ima petunt vallis, vitreas ubi lubricus undas
Rivus agit, nactaeque locum quem commoda voto
Fronde tegit carex, vivo sua corpora fonte
Perfundunt, quo, dum scelerata in gente morantur,
Si qua parum cautis tulerint contagia labem,
Eluat unda nefas. Nec non praetexitur astus
Sacrorum specie, qui ne frangatur inanis,
Per ternas iterant suscepta piacula noctes.

Festa venit lux Assyriis, potuque iocisque
Quam celebrare solent : vitium propensus in omne
Servorum ad coenam ductor vocat ordine primos.
Concurrunt alacres : onerant lautissima mensam
Fercula, collucentque auro generosa capaci
Vina, Palaestinis exundant qualia prelis.
Haustibus ut crebris cessit reverentia famae,
Sermonesque vigent, cordisque arcana patescunt,
Sic verbis dominus permittit frena protervis :
« Sol quater explevit cursum, felicibus ex quo
Auspiciis mulier, qua non praestantior ulla
Corpore vel cultu, nobis se tradidit ultro,
Et — pudor est fari, — nondum mihi debita solvit.
Fraudavi genium vecors et vota repressi,

Despecta de gente nurum me ludere passus.
Nunc quoque, certa fides, Holofernem ea ridet ineptum,
Meque virum negat aut devotum carmine dicit.
Nimirum is veniet castris mos denique nostris
Parcere virginibus, nuptas servare maritis !
At noctem hanc voveo dederint mihi fata supremam,
Ante diem nisi primitias captae urbis habebo.
Eia age, vade, puer ; lepidam huc mihi siste puellam,
Interea praesens oculos quae pascat amanti,
Misceat et nivea spumantia pocula dextra. »
Servus abit leno, atque suae non immemor artis
Affatus blandos promissaque magna retentat,
Si profugae sensus queat expugnare pudicos.
Illa per ambages loquitur, probrique remittit
Suasorem officio laetum et mercede futura.

Tempora munditiis postquam data iusta novandis,
Adventu exhilarat coetum concinna virilem
Femina, regalique habitu pariterque modesto
Accumbit mensae, nitidis effulta tapetis.
Tempore sed nullo non servantissima legis
Abstinet externis dapibus, parcoque, ministra
Quem tulit adveniens, victu ieiunia sedat,
Atque animos ad coepta parat modico ardua vino.
Limosae veluti solis quum forte lacunae

Incursat radius, prisci nihil inde nitoris
Deperdit, coenoque iterum purissimus exit,
Sic ea, dum fervet funesta licentia linguae
Convivis, super affectus evecta profanos
Erigit immunes sorde ad sublimia sensus.
  Hospitis at pulchrae ductor correptus amore
Hanc spectat solam, bibit et gemino aestuat igne ;
Nec dominam spectare sat est : cantare rogatur,
Vocalesque modos citharae sociare sonanti,
Extulit ad nutum loculis quam servus herilem.
Praetentat mulier sollerti pollice nervos,
Concordesque movens hoc flectit carmine vocem :
« Agmine quam leni Babylonius alluit amnis [1],
Sedimus in ripa matres teneraeque puellae,
Dumque sacrae desiderio consumimur urbis,
Dependet glauci ramo lyra muta salicti.
Accedunt, quibus abductae temploque domoque
Diverso, Iudae neptes, famulamur in orbe,
Atque ita : « Quid prodest oculos corrumpere fletu ?
Quin potius laetis resonent concentibus aurae,
Vestra quibus nuper Sion resonare solebat. »
Nos contra : « Nimium ah praesentibus absona fatis

[1] Confer Psalmum CXXXVI.

Poscimur, extorres patriam quae flemus ademptam.
Non bene servili cantus promuntur ab ore,
Nec facit ad digitos plectrum data pensa trahentes :
Nimirum lacrimis lentescet chorda profusis.
Torpeat ante manus nobis oblita moveri,
Officiumque neget praemortua gutture lingua,
Ex animo tua quam, Sion, labatur imago.
Utere fortuna, Babylon invisa, secunda ;
Nec tamen exsulta fluxis elata triumphis.
Assyrias vindex in te Deus ecce cohortes
Concitat, invictaeque addit nova robora genti.
Heu tibi quam subitas Ninive parat aemula clades !
Quae nos nunc urget mala sors, urgebit et olim
Teque nurusque tuas : vicibus tum denique versis
Experiere Dei quam vasta potentia nostri,
Supplicibus qui dat veniam, sternitque superbos. »

Hic ubi deposuit citharam cantumque repressit,
Assurgunt pariter studiis plausuque fragoso
Convivae, laudant carmen, laudantque canentem,
Atque ita confidunt domini captare favorem.
Singultata refert is blaeso murmure verba ;
Nutat et in pectus cervix onerosa recumbit ;
Tum, cui nixus erat, cubitus quoque succidit aegro.
Pondus iners premit ille torum, nisi pectore somnos

Quod proflat rauco. Suadente sopore ministri
Decedunt epulis, solitas nec ad ostia cuiquam
Excubias agitare subit: secura pericli
Incessu repetit titubante cubilia turba.
Non ita Iudithae consors assumpta laborum,
Pervigil asservat dominae quae limina iussu.
Sola ubi cum solo mansit duce casta virago,
Ultima certa sequi patriaeque impendere vitam,
Ipsius appensum palo clam liberat ensem,
Exploratque aciem lychnorum ad lumina ferri.
Hinc praefata Deum motis sine voce labellis,
Crine viri apprenso — nec in ictibus ora retorquet, —
Abscidit iugulum : longe cruor emicat ater,
Commaculatque locos: olli mors dira soporem
Continuat: summi refugit dum iudicis iram,
Traditur haud unquam exstinctis anima impia flammis.
Exanimatam auso Iuditham percutit horror,
Et prope collapsura solo palletque tremitque,
Seque iterum mitem agnoscit timidamque puellam.
Ut rediit sensus, toto sic corde precatur :
« Nil ego perfeci : si quid mihi fortiter actum,
Tu, Deus omnipotens, animos viresque dedisti,
Dirextique manum, iustissimus ultor, ut illi
Quae Sisarae victrix confodit tempora clavo.

Quod superest, mediis ex hostibus eripe tutam,
Eventusque meis redeam sine nuntia laeti.
Sin tamen exstinctam mavis, tantummodo morte
Ne graviora feram. » Non plura locuta cruento
Corpus inane toro devolvit, quem super adstans
Auro intexta gravi solvit conopia fulcris,
Ablatumque operit texto caput : inscia rerum,
Sed dominae famula exsangui pavefacta colore
Tectum immitit onus perae, fascemque tremendum
Attollit nitens, et cervice aptat anili ;
Inde, velut solitum lustralem iter esset ad undam,
Suspenso relegunt gressu loca plena timoris.
Luna opportunum solido iubar extulit orbe,
Nec tamen attonitis solvit formidine membra ;
Quin, dum mille graves circumstant undique casus,
Mens turbata nova et propiora pericula fingit.
Terror inest hominum formas imitantibus umbris,
Terroremque ferunt agitatae flamine frondes.
Nunc etiam a tergo lugentum surgere visus
Plangor, et audiri clamor strepitusque sequentum.
Occursant iterum vigiles, sed ubi eminus illas
Agnovere, pavent timidis obsistere, et ultro
Mandati memores cedunt regione viarum :
Tanta ducis tenet ignarum reverentia vulgus !

Ultima progressae castrorum claustra relinquunt,
Iamque morae noti superatae gurgitis, et iam
Secreto tangunt repetitos tramite muros.
Hic tandem secura mali vocem ausa puella
Tollere : « Io custos, propera : citus excute vectem.
Magna fero, deiectum hostem patriamque receptam. »
Accedunt densa populi stipante corona
Rectores, taedasque gerunt, valvasque relaxant.
Circumstant hilares reducem, casusque renarret
Protinus exhaustos poscunt, urgentque rogando.
Per medios mulier tumulum eluctata capessit,
Et circumspiciens turbam : « Laetare, profatur,
Laetare, Israel ; nam te miseratus ab alto
Respexit tandem Deus, auxilioque levavit ;
Quo ducente feri fidens Holofernis in antrum
Pervasi, et nimium facilis cui praeda videbar,
Incautum furto oppressi : sua nempe furentem
Prodidit inque meos egit lascivia casses.
Insidias ipsa effugi, nec damna pudoris
Ulla tuli, siquidem sub tot discrimina missae
Coelicolum e numero custos mihi fidus adhaesit,
Ne fugerem visus stuprum perpessa meorum,
Neve asserta mihi fuerit Bethulia rubori.
Verborum satis est : hostem nunc cernite vestrum. »

His simul evolvit vestes, humerisque revulsum
Ostendit populo caput: undique laetus ad astra
It clamor: nequeunt oculos satiare tuendo
Horrificos vultus, etiam post fata minaces,
Qui spirare picis tremula sub luce videntur.
Hinc iterum tollunt animos et pectora firmant,
Dignaque magnanimae tribuunt praeconia civi.
Ipsa autem gavisa parum popularibus auris
Effugit, et solitos quaerit pudibunda recessus.

Primo ubi Carmeli rubuere cacumina sole,
Funditur e portis pubes Galilaea reclusis,
Speque accensa nova gestit committere pugnam.
Venerit unde repens hosti fiducia capto,
Quidve animo struat, obsessor secum ipse requirit,
Remque ioco vertit: vox haec celeberrima fertur:
« Scilicet id restat solum ut nos agmine facto
Invadant latebris ausi prorepere mures. »
Continuo proceres Holofernis ad ostia tendunt:
Mirantur praeter solitum indulgere quieti,
Hesternumque rati vinum edormire, vetantur
Quandoquidem subito necopini abrumpere somnos,
Confusum tollunt circum praetoria murmur;
Tum magis atque magis certant intendere vocem,
Scutaque collidunt late resonantia flictu,

Nequicquam : nullo excutitur sopor iste fragore.
Tandem aulaea manu removet cunctante Bagoas,
Et timidos infert gressus, trepidusque recurrens :
« Occidimus, clamat : truncum iacet ille cadaver :
Assyriis peperit meretrix Hebraea ruinam. »
Non aliter rapidi quam afflati fulminis alis,
Deriguere omnes : etiamnum credere mussant
Triste nefas, ipsique volunt exsistere testes.
Ingressi adspiciunt foedata cubilia tabo
Proiectumque solo, desecto gutture, funus.
Exululant scinduntque sinus et pectora plangunt ;
Libera sed quoniam non est mora longa dolori,
Protinus in partes quisnam succedat adempti
Ambigitur ducis, et belli moderetur habenas.
Non ullum eximio praeter se munere dignum
Quisque putat, primosque sibi decernit honores.
Hic genus egregium memorat, facta ille parentum
Et sua : prorumpunt irae : convitia gliscunt,
Atque parata neci capulo manus omnis inhaeret.
  Dumque ita lite terunt vana res tempus agendi,
Diditur extemplo rumor per castra sinister
Occubuisse illum, spes quo pendebat ab uno
Assyriae gentis, cui, palmae ut carduus altae,
Cedebant de plebe duces : sua pigra veterno

Numina vel maiore deo superata queruntur.
Quid faciat miles, nulla aut pugnantia secum
Dum mandata audit, nec quo liquet ordine cernat ?
Conticuere ioci, prior et iactantia cessit :
Inflato neque adhuc pugnae illaetabile signum
Aere dedere tubae, vulgoque in milite vires
Effetae torpent : inopes dum mentis aguntur,
Murorum ecce vident summis pendentia pinnis
Ora cruenta ducis : tum vero fortia quaeque
Corda quatit terror : quid non nocitura virilis
Succurrit proles, steterit quum femina tanto.
Iamque in castra cadunt nervo impellente sagittae,
Excussaeque pluunt torto iam verbere glandes.
Destituunt socios partes non sponte secuti
Assyrias, foedusque novum devotaque fallunt
Signa, nec infestos dubitant expromere sensus.
Te quoque nunc, Assur, gentes tentasse quietas
Sopitumque piget Iudae irritasse leonem.
Qui prius haud unquam campo nisi victor abibat,
Degener ille tuus detrectat proelia miles.
Quadriiuges, equitum turmae peditumque manipli
Ordinibus fugiunt raptim per devia ruptis,
Proiiciuntque fugae arma moras : formidine caecus
Volvitur ut quis humi, cita cornipedum ungula lapsum

Calcat, et aerato volucris rota proterit axe :
Sanguinis effusi tepidos agit orbita rivos.
Continuo prorumpit ovans Hebraea iuventus,
Admissoque aversa premit vestigia cursu.
Distulit ira sitim : per et ora artusque iacentum
Praecipites sine more ruunt : iam cominus ense
Terga petunt oblata sibi, et quos vulnera tardant,
Demittunt impune neci, nec membra quietem
Fessa petunt operum : tanta est in caede voluptas !
Ut se proripiant victi, tamen ocior illos
Antevolat rerum Galilaeis nuntia fama,
Et vacuat cultore agros atque oppida cive.
Arma fremunt omnes : etiam disperdere gentis
Relliquias ardent dirae atque exscindere ferro.
Additus a tergo vix tandem deficit hostis,
Quum novus obsistit contra, laterive cruentus
Imminet, et cursu confectos acer anhelo
Urget utrinque : cadunt miseri, ceu falce recurva
Procumbit succisa seges : nec stragibus usquam
Aut modus aut finis : paucis remeare penates
Dat fortuna suos, patriumque revisere Tigrin.
At non regali cuneis inscriptus in aula
Turpe later probrum seros testatur in annos ;
Excidit Assyriis bellum lacrimabile fastis.

Colligit hostiles direptis undique castris
Exuvias victor : spatium campi occupat ingens
Inque diem crescit cumulatae copia gazae.
Spectandi excitae studio matresque nurusque
Approperant, cultoque locos examine complent.
Barbara texta iuvat digito attrectare perito,
Et non iam metuenda volunt contingere tela.
Haec arcum frustra sinuare laborat, at illa
Imponit galeam capiti cristasque comantes,
Et sibi pro speculo clypei subridet in aere.
Inde triumphalem ducunt ad moenia pompam
Tempora praecinctae ramo pacalis olivae.
Pars citharas pulsant vel tinnula cymbala palmis
In numerum feriunt : velatas frondibus hastas
Pars agitant manibus : vocali carmine cunctae
Te, Iuditha, tuasque ferunt ad sidera laudes,
Auxiliumque suum servatricemque salutant :
Arva, domos uni, templum, connubia, natos
Infixumque animo quidquid debere fatentur.
Praeda simul trahitur captis amplissima bobus,
Imprimis Holofernis opes, stridentia centum
Quas vix plaustra vehunt, argenti pondus et auri
Immensum, Tyriae vestes, pretiosa supellex,
Balteus ac variis radiantia cingula bullis

Et domini squalens etiamnum sanguine mucro,
Iuditham at populus spoliis conclamat opimis
Augendam, tantum ipsa manu quae straverit hostem.
Assensere duces non ante libentius unquam
Communi dociles voto, nec multa morati
Heroinam adeunt, festoque sonante tumultu
Dona rogant capiat cives testantia gratos.
Illa verecundo contra sic excipit ore :
« Praemia quae praeter meritum mihi ditia, fratres,
Defertis, laeta accipio, sancteque reservo
Ornatura olim Solymi donaria templi.
Ambitiosa novo quid enim me digner honore,
Quae nihil ausa novi, veterumque modo excita laude
Plus una signata nuru vestigia pressi ?
Nonne Iahel fuit exemplo, non Debora victrix,
Quid supero instinctu male fortis femina possit ?
Nec tamen illae unquam simili mercede potitae.
Quid, quod tentavi quaecunque pericula, mecum
In partem venit haec meriti fidissima serva,
Non iam serva mihi, vinclo sed iuncta sodali ?
Denique mortali de semine fudimus hostem ;
Promissae at me ecquis vellet componere matri,
Calce premens caput inferni quae conteret anguis,
Virgineo mundi pariet dum ventre salutem ?

Idcirco, mea si quidquam vos gratia tangit,
Parcite nolentem verbis extollere, et aevi
Quod superest sinite obscurum me degere tempus.
Illi autem festosque dies atque annua sacra
Instaurate pii gratasque advertite mentes,
Qui, licet indignae, hanc firmavit robore dextram,
Attenuare colos solitam et deducere lanas.
Terrarum sed enim proprio qui ludit in orbe,
Instrumenta legit praeclaris infima rebus
Omnipotens, uni cui laus et gloria sunto. »

LIBER V

IUDAS MACHABÆUS

IUDAS MACHABÆUS

Vatum alios commenta iuvent risusque salesque,
Ante annos quibus indulsi ; subeunte senecta
Quamlibet invalidum placidaeque quietis amantem
Sollicitas me Iudaeae sacra Musa per oras
Illecebris raptat castis, Machabaeus ubi acer,
Invicti Iudas Mathathiae digna propago,
Arma quatit iusta, et patriam templumque tuetur.
Ipsa mihi perstet comes, adspiretque canenti
Ingentes animos, quales ingentia poscunt
Facta ducis tanti et victurum saecula nomen.
  Romanis patribus iampridem traditus obses
Delicias Latiae Demetrius oderat urbis,
Non Syriae altricis, non divitis immemor aulae,
Hausit ubi lucem, decimumque adolevit in annum.
Extorri ante oculos illa obversatur opimae
Pars Asiae genitori olim possessa Seleuco,
Quam proavus sortitus erat, quum subdita late
Magnus Alexander regna assignaret amicis,

Praerepta sed tum patruus ditione tenebat.
Hunc ubi Persepolis victum sub moenibus audit,
Dum curru fugiens repetit Babylona citato,
Occubuisse neci, solio succedere natum
Impubem, sese populis ad sceptra reposci,
Dimitti quaerit, reditumque vetante senatu,
Exsilii impatiens, ubi primum oblata facultas,
Conscendit furtim deserto in litore navem,
Et latum emensus paucis comitantibus aequor
Puppe coronata Tripolis subit ostia celsae.
Antiochorum ergo quibus importuna potestas,
Deque novo melius visum sperare tyranno,
Servitiive quibus dominum est mutare levamen,
Excipiunt reducem laeti, regemque salutant.
Mittuntur certi sparsas ubicunque per urbes
Qui facta edoceant, civesque hortentur in arma,
Invitentque animos pretio, moveantque tumultus.
  Principis at pueri tractat qui nomine clavum
Lysias regni, subita exoriente procella
Deprensus, quid agat dubia dum mente requirit,
Cunctando sinit adversas increscere vires.
Iam defecerunt Tyros et Phoenicia Sidon,
Et Cilicum Tharsis decus atque Apamea virisque
Heraclea frequens, fluctu pulsata marino

Laodicea, vetus Raphana et ventosa Damascus
Bambyciaeque arces antiquae et nobile Zeugma.
Mox etiam imperii caput Antiochia superbum
Pacem orat, dominoque novo sua moenia pandit,
Qui victor manibus cognata caede cruentis
Considit solio rerumque attrectat habenas.
  Lustrato haec inter templo Machabaeus honores,
Dux idem praestans animi summusque sacerdos,
Indixit: media imprimis surgentia sede
Evertit simulacra Iovis, saxoque recenti,
Quod non ferri acies avulsum rupe cecidit [1], —
Conscelerata Syris quando prior, — inchoat aram.
Inde datos sibi poscenti divinitus ignes
Suscitat, et largos flammis imponit odores;
Nec non et parti bello bene prodigus aeris
Liborum mensam, lychnos atque aurea supplet
Vasa: sacerdotum multa imbuit hostia cultros.
Pronus humi dum quisquis adest prece numen adorat,
Erigit exemptas gravibus tum denique curis
Maiestasque loci et domini praesentia mentes.
Vestibuli obtentis dum frons viret ardua sertis,
Fulgida nativos distinguit bractea ramos,

[1] Exod. 20, 25.

Marmoreasque inter pendent aulaea columnas
Matribus Hebraeis miro vigilata labore.
At modo perfectae, — priscas quippe ignis adedit, —
Cedro halante fores sectoque nitent elephanto.

Iuxta circus erat flava constratus arena,
Graia ubi Iudaeae pubi permixta iuventus
Corpora consuerat nuda exercere palaestra,
Deque inhonesta inter sese contendere palma.
Huc subvertendi studio concurrit in unum
Vulgus, et illatum certat removere pudorem.
Disiiciuntur humo cunei iunctumque lupanar,
Exagitat molles dum saxeus imber ephebos.
Multa super stabant divum per compita signa,
Quos Syria indigetes prisco de more colebat,
Intulit et porro domitae quos Graecia genti.
Alterum et hoc abolere subit sententia probrum :
Dant pariter subitam populo impellente ruinam
Phoebus et Astarte, Liber, Cyllenius ales
Indomitusque simul Mars et formosa puellae
Dercetis ora gerens, squamosus cetera piscis.
Quae modo moerebat servae squalentis imago,
Dilaniata sinus foedataque pulvere crines,
Et spoliis Sion gentes ditabat avaras,
Nunc tandem posito iucunda agit otia luctu.

Tibia nunc iterum sonat unca, diuque repostae
Virgineis iterum citharae dant signa choreis.
  Insessa sed adhuc Graius dominator ab arce,
Ut sua trunca videt consternere numina terram,
Saevit in absentes non iam munimine tutus,
Inclususque metu trepidat defendere muros.
Quos autem a cultu deflectere suasit avito,
Inque aulam perduxit opum funesta cupido,
Hebraei obstantem Mathathia perdere natum
Collatis ardent odiis, rerumque potiri;
Alcimus ante omnes, quo non sceleratior ullus,
Pontificis nomen donis mercatus et auro
Incassum, optatos quando tenet alter honores.
Regi ideo falsis sermonibus occupat aures,
Inque dies condit fandi nova crimina fictor:
Iudaeum Macetis olim quid profuit orbem
Subdere, si vana pietatis imagine quisquam
Misceri geminas vetat et coalescere gentes,
Victoresque suos usus imponere victis?
Scilicet unus erit cui detrectare licebit
Commune obsequium, motusque ciere repentes?
Iam non ille ferox delubra evertere divum
Cultorumque aras dubitat respergere caede.
At sua si saltem constet reverentia regi,

Nec tantum liceat tuto contemnere nomen !
Iam regi parere nefas, iam regis amicum
Esse nocet : colitur solus pro rege Moyses.
Mox quoque, quamprimum nisi provida cura resistat,
Successu tumidus dominis bellum inferet ultro,
Et Syrios subito turbabit Marte penates.

Talibus immiti ut violentia mota tyranno,
Atque irae timor accessit, contundere vulgus
Indomitum statuit, penitusve exscindere ferro.
Bellandi legitur notus Nicanor ab arte,
Vir Macedo, Solymas qui viribus occupet oras,
Et duce sublato turbae det iura trementi.
Haud mora, castra movet iussus, nec tardior illo
Dispersas revocat Iudas ad signa cohortes.
Ut vero sumpsere acies tentamina belli,
Victaque concursu primo Nicanoris arma,
Nunc iterum ducis adversi quid dextera posset
Expertus non iam committere proelia curat,
Triste petit bellum componi, et foedera iungit.
Quin ipso virtutem etiam miratus in hoste
Haud illum dubitat tectisque animoque sodalem
Excipere, arcanosque uni committere sensus [1].

[1] Machab. II. 14, 24.

Alcimus interea voto fraudatus iniquo
Non tamen absistit, verum hoc impensius urget
Propositum, miscetque aulam stimulatque regentem,
Nec cessare vacat donec spe ductus inani
Exsultat, coeptis veluti nihil amplius obstet.
Obsignata duci regali littera gemma
Redditur, et verbis lentum castigat amaris:
Non illi pacem colere et componere foedus
Praeceptum, populum sed enim frenare rebellem,
Turbarumque caput dominam traducere in urbem
Constrictum ; quare nihili nisi gratia regis
Pendatur, quae iussus agat. Mandata legenti
Aspera prorumpunt aegro suspiria corde,
Et male compresso tinguntur lumina fletu.
Non tamen ille diu suspensa mente tenetur :
Frangere turpe fidem succurrit, turpius alta
Linquere fortunae misero fastigia casu.
At patriae retinens vitium commune bilinguis
Compositos retinet vultus, secumque volutat
Mille dolos, plebis minimo cum murmure talem
Et tantum si forte virum comprendere possit.
Non ideo inversae Machabaeum tenuia mentis
Signa latent quaedam : demissae nubila frontis
Et voces notat ambiguas risusque coactos

Obliquamque aciem ; fraudes praevertit opertas
Effugio, et fidos quaerit procul urbe receptus.
Retia nequicquam ut sentit digesta Pelasgus,
Succenset graviter praedae, ceu ruperit ultro
Hospita iura fuga, multoque satellite cinctus
Templa petit, mactatus ubi pro rege iuvencus
Non profecturo replebat ahena cruore.
Obvia fit venienti omnis sub limine primo
Turba sacerdotum : trepidantes lumine torvo
Percenset Macedo, Iudamque requirit ab illis.
Qui quum ubi sit novisse negant, haud imperat irae,
Protentaque, nefas, adyta ad penetralia dextra,
« Testor, ait, Superos ; manicis et compede vinctus
Ni mihi tradetur turbarum sedulus auctor,
Haec loca vasta dabo, surgitque ubi numinis ara
Abstrusi, melius stabunt simulacra Lyaei. »
Dixit et in verbo avertit, mystasque relinquit
Attonitosque minis, aedique sibique timentes.

Multa moventi animo Samariae insidere tractus
Fama refert profugum, partem huc traxisse suorum
Non adeo exiguam, cingi munimine castra.
Tunc artes vanas perspectaqne furta peroso
Arma placent iterum et ferali buccina cantu ;
Nec leviore novum struitur molimine bellum

Quam coniurati iuncto si robore cladem
Nilus et Euphrates Syrio meditentur Oronti.
  Parte alia, cuius tanta properatur opum vi
Exitium, solida non mente infringitur heros,
Sed circumfuso tumulum postquam agmine cepit,
His ad facta animos incendit fortia dictis:
«In breve respexit nostros pax candida tempus:
En iterum Syrus assuetos renovare furores
Apparat, antiquam Mosis rescindere ferro
Aggressus legem et ritus abolere sacrorum.
Nosne adeo indecores, adeo virtutis egenos
Credidit, ut vitam producere crimine turpem
Vellemus, seramque probro debere senectam?
Si pueri septem nondum pubentibus annis
Instantis tolerare minas iramque tyranni
Haud renuere, animam certi pro lege pacisci;
Si pia natorum septeno funere mater
Nil deiecta truces risit sub morte ministros [1],
Quid dein ferre viri tanta pro laude gravemur?
Nec non confectus quamvis Eleazarus aevo,
Ante inconcessis dapibus quam polluat ora,
Fortiter occumbit [2], nec non moribundus in hostem

[1] Machab. II. 7, 1 et seq. — [2] II. 6, 18 et seq.

Viscera Razias exhausta proiicit alvo [1].
Felices nimium o animae, quibus hora volucris
Atque brevis dolor aeternos peperere triumphos !
O me si ... ! Sed non iam ea nos fortuna fatigat,
Hostilem ut iugulo gladium accipiamus inulti,
Vel latebrosa inter tesqua et spelaea ferarum
Degamus tristem assidua formidine vitam.
Qui quandoque Deus iustas exardet in iras,
Ludibriumque hosti meritos sinit esse profano,
Se tamen usque patrem meminit, nec crimina fassos
Ferreus haud unquam vultu meliore tuetur.
Illius, reor, impulsus mentemque secuti,
Te duce, sancte parens, desueta resumpsimus arma.
Ut mittam patribus validi quam saepe favoris
Pignora certa dedit, nonne et nos vidimus ipsi
Sidereos proceres nostris accedere turmis,
Terribiles visu, clypeo flammante coruscos,
Aemoniasque metu subito torpere phalangas [2] ?
Non mihi quam ducibus, mea quos haec dextra peremit,
Plus virtutis erat rerum aut prudentia maior ;
Coelestis sed enim texit dum me aegide custos,
Congressos superare dedit spoliisque potiri.

[1] Machab. II. 14, 46. — [2] II. 10, 29 et passim.

Te testor, casus qui me comitaris in omnes,
Ensis, Apollonii quondam gestamen ovantis,
Inde meum [1], cecidit fixus quo pectora Seron !
Nec semel ipse Deus vindex exsistere legis
Constituit, foedusque ausos temerare verendum,
Admissaeque sibi spondentes praemia noxae
Non exspectato percussit fulmine cives.
Tum diti spoliasse piget donaria censu
Lysimachum, telis idem quum mille petitus
Mille ante ipsa lacer moritur donaria plagis [2];
Et sacra non vellet manibus tractasse profanis,
Culmine quum turris praeceps Menelaus ab alto
Congerie cineris periit misere obrutus atra [3].
Nec iam impune fuit diri Callisthenis ausum,
Qui facibus templi aggressus succendere valvas
Ultores animam sontem exspiravit in ignes [4] ;
Et notus patriae longinquis proditor arvis
Infletusque suis iacet inque sepultus Iason [5].
Sed nece perversos cives qui plectit acerba,
Non minus externum laesus desaevit in hostem.
An geminos memorem Antiochos, revolutus ab axe
Quorum alter solvi sensit sua viscera tabe [6],

[1] Machab. I. 3, 12. — [2] II. 4 42. — [3] II. 13, 6. — [4] II. 8, 33. — [5] II. 5, 9, 10. — [6] II. 9, 7 et seq.

Deiectusque alter solio sub flore iuventae
Crudeli commissa luit periuria leto ?
Te quoque nequitiae puero scelerisque magistrum,
Lysia, simili non sors disiunxit alumno [1].
Nostra ope coelesti quando spes pendet ab una,
Parcite quam multi contraria castra sequantur
Percontari : animi est hostem numerare pusilli.
Hoc sat nosse : Syris ductor Macedo ille superbus,
Vendere qui dum nos vili pro merce parabat,
Terga dedit foede nostris contritus ab armis [2].
Depositas sancta si praedaturus in aede
Heliodorus opes, letalia verbera passus
Supplicibus tantum est donis a morte reductus [3],
Quas tibi, Nicanor, poenas instare, proterve,
Credibile est, ipsum dictis incessere numen
Non verito, et turpi cuidam postponere Baccho ?
Sed quid ego haec vestrum nulli non nota revolvo,
Omina si nobis spondent propiora salutem ?
Mira loquar sed vera : animos advertite laeti.
Mane novo sopor ut lassos mihi vinxerat artus,
Pontificum flos in somnis est visus Onias,
Ante annos qualem memini me cernere denos,

[1] Machab. I. 7, 2 et seq. — [2] II. 8, 11 et 24. — [3] II. 3, 23 et seq.

Singula viventis referens, faciemque comasque
Et gressum et motus, nec vox mutata sonabat.
Vulnera quin etiam sub pectore honesta notavi,
Sacrilega geminata manu [1]. Cui proximus alter
Vir cernendus erat senior, similisque precanti
Submissis genibus tendebat lumina coelo.
Mirabar vultus mixta gravitate benignos
Atque decus frontis plus quam mortale, quis esset
Inscius, ancipitem quum sic affatur Onias :
« Hic ille est, monumenta sui qui magna reliquit,
Ora Deus siquidem movit ventura canenti,
Ieremias noster : multum is, dum vita manebat,
Pro populo pietatis amans oravit et egit;
Prisca nec exstincto de vobis cura recessit;
Consessu sed enim patrum iustissimus unus
Assiduis numen votis precibusque supernum
Conciliat plebi. » Quae postquam verba sacerdos
Protulit, haec ad me vates dedit orsa vicissim :
« En cape coelesti delatum munus ab arce,
Quo semel accinctus, nullo violabilis ictu,
Quae vos usque manent, pugnas invictus obibis. »
Talia Ieremias et, quem sua dextra gerebat,

[1] Machab. II. 4, 34.

Levato radiantem auro mihi tradidit ensem.
  Continuo excussus sopor est ; at munera vatis
Quod contrectanti per somnia crescere visum,
Non mente effluxit vigili non corpore robur.
Sic fausta omnipotens nobis pater omina firmat,
Et multis dubitamus adhuc concurrere pauci ?
Quin si cui nova nupta domi vitisve serenda,
Protinus abscedat, segnes ne pectore curas
Dum fovet, invitusque subit discrimina belli,
Tristia desidiae sociis exempla ministret.
At vos, o lecti comites, spectata periclis
Mi quorum ex longo patuit virtusque fidesque,
Audenti instantes praesumite pectore casus,
Mansurae memores patriae vitaeque perennis,
Vincere queis pariter letove occumbere lucrum.
Ne tamen haud constet quo simus robore freti,
Qui fuit ante, Deus nobis sit tessera Victor. »
Desierat : fremituque viri plausuque sequuntur,
Victoremque Deum studiis concordibus orant.
  Ecce redit vestigato speculator ab hoste
Eminus, oppositaque refert considere valle,
Nec dubium iuga quin medii transcendere montis
Cogitet, atque illum coram lux proxima sistat.
Praevius induxit coelo quum sidera Vesper,

Indulgere cibis miles somnoque monetur,
Ne non deprendat rediens aurora paratum.
Officii tamen ipse sui non immemor usquam
Castrorum insomnis per muta silentia gressus
Circumfert ductor tacitos, et singula lustrat,
Sicubi commissi cesset custodia valli.
Accedunt fidusque Simon acerque Ioannes,
Quos illi iungunt et sanguis et aemula virtus,
Germanique tegunt latus, ac mandata capessunt,
Hic dextrum quando cornu, regit ille sinistrum.

Primo ubi terrarum rubuerunt ardua sole,
Arrecto oppositos servant dum lumine colles,
Obliquis constat descendere flexibus hostem
Complentem campos et pinguia culta terentem.
Vivida graiugenis addit nova robora pubes,
Auxilio externis quam rex accivit ab oris
Dissimilem facie, cultu et fulgentibus armis.
Discreti ordinibus vadunt, sua quisque secutus
Signa, verutus Arabs, accinctus acinace Persa
Assyriusque ferox, palmosae cultor Idumes,
Dumque fugit, verso Parthus non segnior arcu.
Amento his iaculum mos intorquere volucre,
Spargere vulnificas aliis per inania glandes.
Aemoniae sed enim, densissima silva, sarissae

Aurorae ignescunt radiis, fulvumque renident.
Eminet in mediis elephantorum improba moles,
Sanguine quos mori monstrato uvaeque rubentis
Excitat haud levibus stimulis in proelia rector [1].
Foeta viris tergo dum propugnacula gestant,
Subsidit vasto gradientum pondere tellus.

Septima lux aderat, quam more Hebraea vetusto
Relligiosa solet celebrare per otia proles.
Illa duci Syrio praesertim accommoda pugnae
Visa dies, pietate sua qua sperat inertes
Opprimere actutum, facilesque referre triumphos.
Hanc quoque Marti aptam consultis legit in astris
Chaldaeus, volucrum id monitu denunciat augur,
Id pecudum edoctus fibris confirmat aruspex.
Dissuadent contra, quos dux capere arma coegit,
Iudaei, inque suos ferrum convertere cives.
Esse Deum memorant coeli terraeque potentem,
Sacra sibi prisca asseruit qui sabbata lege,
Atque operum voluit celebrari immunia plebi.
Accensus furiis ad quos ita barbarus infit :
« Si Deus in coelo est, coeli dominetur in aula ;
Terra mihi cedat regis mandata ferenti.

[1] Machab. I. 6, 34.

Aut hodie mecum cinget vos gloria lauro,
Aut nulla eripient infandae numina morti. »
Ora premunt miseri, tacito sed corde requirunt
Damnatis si qua liceat discedere castris.
At reliquus Martem vocat uno exercitus ore,
Et quasi parta sibi iam nunc victoria, laetum
Ante tubam paeana canit. Quos limite certo
Adversum ut sua castra videt procedere Iudas,
Attollit palmas, oneratque his aethera votis :
« Rerum aeterne sator, cuius sunt omnia plena,
Et iusto fera volvuntur sub numine bella,
Sis memor, o clemens, patribus quae foedera nostris
Sanxisti : nunc, si quando, hanc bonus adspice turbam
Iudaeosque tuos, et si meruisse videmur,
Afflictis fer opem ; validas nunc exere vires,
Saepe quibus tumidum vertisti funditus hostem.
Sin autem veteris quaedam vestigia culpae
Nondum abluta manent, propriae at tu consule laudi,
Ne te, si videant curam posuisse tuorum,
Nullum illi prorsus eredant, similemve pudendis,
Quos fornace coquunt vel caedunt marmore, divis.
Quare hodie, licet indignos, tutare clientes,
Externus ne te dominum non sentiat orbis :
Postmodo supplicium quodvis haurire iubeto. »

Sic Iudas : socii conceptas ordine voces
Ingeminant : clamore poli convexa resultant.
Et valuere preces : Superum de sede beata,
Quem penes electae Michael custodia gentis,
Visus adest nulli, Syriisque per ardua lapsus
Consistit castris, elephantum ubi maximus adstat,
Ostentisque acuit monstrum, quibus ocius illi
Prisca redit feritas : Indum cervice magistrum
Excutit eliditque solo, dein impete vasto
Obvia quaeque ruit temere, et tota agmina calcat.
Sub pede dissultant thoracum fragmina, et una
Ossa obtrita crepant ; tum si quos tendere contra
Fert animus praeceps, cute tela retusa rigenti
Frustrantur dextras, ipsosque proboscide raptos
Mittit in aetherias tormenti viribus auras
Bellua, terrificisque procul loca vocibus implet.
Consternantur equi, subrectisque auribus horrent,
Captatas raucis regerentes naribus auras.
Mox etiam miscent aciem, adductoque repugnant
Indomiti freno : confusae protinus alae.
Dant cuneum Hebraei, densique feruntur in hostem ;
Emicat ante alios arrepto tempore Iudas,
Atque vel adspectu caeca formidine captos
Dissipat ; ipse tamen trepidum non sternere vulgus

Dignatur, solumque ducem in certamina poscit
Saepius increpitans, turbaque requirit in omni.
Sarrana chlamys hunc tandem ferrugine tincta
Prodit et aurata nutantes casside cristae,
Dum spumantis equi contundens ora lupatis
Hortaturque suos reficitque in proelia turmas.
Advolat Hebraeus nec celat gaudia ductor,
Ipse pedes pugna non deterrendus iniqua.
Cui Syrus insueto turbatus corda tumultu
Coniicit haesuras obiecto umbone sagittas.
Verum ubi nulla data est occursum exire potestas,
Armatoque fugam prohibet pudor, ense recluso
Congrediturque ferox, atque hosti destinat ictum
Insurgens : celeri is cautus dum corpore cessit,
Effusae in ventum vires. Machabaeus ibi ardens
Ora feri dexter clypeo detorquet, et ensem
Usque premens totum laevo defigit in armo.
Sanguine quem postquam tepefactum undante recepit,
Erigitur quadrupes, et verberat aera calce,
Inque latus cadit exanimis, pariterque ruenti
Incumbit domino, lateri subducere crura
Qui dum luctatur laesumque attollere corpus,
Adspicit instantem Iudam vulnusque parantem ;
Utque videt cessare suos, at marte secundo

Dummodo me vivo Machabaeus prodeat alter,
Magnanimum forti referens qui pectore Iudam
Hostibus insessam te, Sion altera, Romam
Sublevet, eiectoque piis Ligure asserat armis,
Resituatque idem ternae sacra iura coronae.

LIBER VI

ESTHER

ESTHER

Illa canenda mihi sacris celeberrima fastis
Heroina, decus Iudaeae nobile gentis,
Regis Achaemenii thalamos ingressa superbos
Quae virtute pia et divino concita motu
Omnia postposuit, nec vitae animosa pepercit
Ipsa suae, populo non aequi ut corda mariti
Flecteret, et cives morti subduceret atrae.
Si tibi sic meritae patuerunt atria coeli, —
Et patuisse liquet, — coeptis audacibus, Esther,
Dextra fave, vatemque tuum prono adspice vultu.
  Magnanimo quondam victori subdita Cyro,
Aethiopum a terris latissima regna tenebat
Assuerus, salso usque vagus qua gurgite Ganges
Excipitur; neve haec caperent a litore metas,
Innumeris vastum sulcabat classibus aequor.
Quid tamen eoum moderari legibus orbem

Atque procul pelago prodest dare iura profundo,
Immensas quid opes Susis cumulasse, recenti
Imperii sede [1], et traducere molliter aevum,
Si desiderio captum dolor urit acerbus ?
Causa mali coniux imis infixa medullis,
Praestanti facie, nimium sed conscia formae,
Ausa etiam nuper regis contemnere iussa ;
Haud impune quidem, subita nam percitus ira
Ordine deiectam pepulit solioque domoque.
Sed non ut thalamo sic illam corde removit
Protinus : ante oculos perstat moerentis imago,
Immodicamque viro poènam obiectare videtur.
Ipse, mora primo ut mentem collegit ab aestu,
Extenuat culpam causamque perorat abactae,
Succensetque sibi, praeter consulta priorum
Solennesque usus, hanc qui prodire recessu
Atque modesta viris ostendere iusserit ora.
Quod licet, amissam secum memor usque requirit.
Sed quamvis tacito condit sub pectore vulnus,
Agmen adulantum sensus deprendit opertos.
Moesti adeunt moestum, docti componere vultus,
Et populi ne obstet votis concordibus orant,

[1] Urbem Susa a Dario conditam docet Plinius Hist. nat. VI. 133.

Acciri sed enim mandet toto undique regno
Florentes annis, forma superante puellas,
Inque sibi numero reginam deligat omni :
Sic fore flamma novo vetus ut concedat amori,
Atque domus grata fundetur regia prole.
Annuit ille libens, et idem quod publica poscat
Utilitas laetus miratur, idemque libido
Nota sibi nimium : tam pronum fallere reges !
Quae vero divina praeest sapientia mundo,
Rectorum vitia ipsa piis in commoda vertit.
Quam multae surgunt Persarum finibus urbes,
Inde brevi totidem recipit domus una puellas,
Uniusque toro lectissima corpora servat.
Sed quantum reliquis illae, tantum officit illis,
Obscuratque omnes longe pulcherrima virgo,
Quae talis caput in mediis attollit honestum,
Pallentes inter qualis rosa fulgida calthas.
Esther nomen habet caris cognomine Edissae
Notior : Hebraeo quamvis a sanguine creta,
Non recidiva unquam Solymorum moenia vidit [1] ;
Quippe atavo, patriis quum transferretur ab oris,
Susorum obtigerant, ubi sedem poneret, arces.

[1] Recidiva moenia, nempe ab Esdra sub Dario restituta.

Limine sub primo vitae genitoribus orbam
Iairides hanc Mardocheus [1] suscepit alendam,
Germani sobolem, miroque eduxit amore;
Nec legis solum docuit praecepta supernae,
Sed varia solers insignem reddidit arte.
Tantus erat candor, tam rara modestia frontis,
Invidiae immunis nulla ut non parte placeret.
Quae simul Assueri tetigit pudibunda cubile,
Adspectu stupet ille, rapitque per ossa calorem;
Utque oris dotes pulchra liquet indole vinci,
Praepositam nuruum turbae diademate donat
Virgato [2] et gemmis circum fulgentibus apto.
Nec minus altoris monitu patriamque genusque
Celat adhuc mulier: nimirum odia aspera gentem
Circumstant, nec mens satis explorata tyranni.
  At devincti animos ut rexerit illa mariti,
Non ideo effecit ne fallacissimus aulam
Agagides versaret Aman, turbasque cieret,
Quem domini favor indignum ad fastigia rerum
Evexit. Generi felix cunabula Idume

[1] Necessitate metrica coacto poëtae ex Mardochaeo Mardocheum fecisse liceat.

[2] « Cidarim Persae vocabant regium capitis insigne; hoc caerulea fascia albo distincta circumibat ». Q. Curtius III. 8.

Huius erant; David sed postquam contudit armis
Infestam Hebraeis antiqua ab origine prolem,
Emathia immotas profugis dedit hospita sedes.
Hinc se, nec falso, is Macetum de stirpe ferebat;
Utque erat immodico tumidus praecordia fastu,
Atria lustrantem regis, — sic ipse volebat, —
Omnis adorabat prostrato corpore turba.
Imperio solus fortis parere recusat
Mardocheus, nec agit ventosa superbia mentem;
Mortali sed enim cultum deferre veretur,
Quem mundi sator omnipotens sibi vindicat uni.
Saevit Aman veluti spretus, caecoque furore
Percitus insidias hosti meditatur; at unum
Perdere non satis est: communi involvere leto
Invisum genus et largo stat sanguine priscas
Ulcisci clades; animo necdum excidit aegro
Numinis infensi proavus iugulatus ad aram [1].
Non aversa viri cautum sententia fallit
Iairiden: studiis ergo in contraria versis
Intento sese per mutua lumine servant,
Vestigantque aditus faciles, loca pervia telo,
Congressu iustum veniat dum tempus aperto.

[1] Vide Regum I. 15, 33.

Ceu gemini si fors diversa ex parte dracones
Occurrere sibi quaesiti fontis ad undam,
Ilicet hunc atque hunc par in se concitat ira.
Parva tamen mora fit, fraudes dum versat uterque,
Ex improviso quibus ocius opprimat hostem.
Mox rabie superante globum miscentur in unum
Impliciti spiris, faucesque elidere nodo
Adstrictas certant squammasque incidere morsu,
Deterior donec centeno vulnere victus
Exanimisque premit resoluto corpore terram :
Aemulus optato fruitur tum denique fonte.

Spes adeo quum prima data est pervincere coeptum,
Aggreditur regem Macedo, atque ita subdolus infit :
« Dum quacunque patet, placida tibi subditus orbis
Perfruitur pace, et populi tuta otia centum
Exercent, talique vocant se rege beatos.
Una tuas diversa locis gens impia leges
Temnere non dubitat, nec iam iura altera novit,
Aegypto quam detrusis quae condidit olim
Nescio quis Moses. Penitus genus omne perosi
Humanum nullis idem non gentibus aeque
Sunt odio, tellusque viros prope respuit ultro.
Hos mihi, tota tuae dum mens intenta saluti,
In tua compertum est iam iam consurgere regna :

Nec temere Hebraeo corruptos suspicor auro,
In tua qui nuper iurarunt fata, ministros.
Sic meritas subiit grates persolvere regi,
Vivere permisit cuius clementia captis,
Vivere nec tantum, sed opes augere retentas.
Quam vellet Pharao stirpem ante extinxe nefandam,
Pestiferis quum turbarunt Nilotica monstris
Arva, ipsumque dolis rubro mersere profundo.
Tu Pharii edoctus miseranda sorte regentis
Excidio plebis tantam praevertere cladem
Ne dubita, — culpa hic pietas, — spoliisque potitus
Femineis vacua impensis aeraria supple. »
Hactenus Agagides, quem rex ita voce secutus :
« Non immansuetum mihi nec, quod sanguine fuso
Gaudeat, ingenium est : populis equidem omnibus aequus
Nullos non placida sperabam pace tueri.
Nunc, — quid dissimulem ? — discincta me in otia natum
Obruit imperii moles, laetorque profecto
Invenisse gravi pressum qui fasce levaret
Pondera partitus mecum. De gente rebelli
Videris, arbitrio deinceps quae tota iubemus
Sit permissa tuo. Via quando ea sola salutis,
Expedit igne luem et saevo compescere ferro.
At quoniam indignum est regem ditescere caede,

Invigiles fido nostris quum pectore rebus,
Quos memoras tibi habe, meritorum praemia, census. »
Sic ait, et sceleri ignarus permittit habenas ;
Utque fidem faciat diris impressa tabellis,
Eximit e digito gemmam, traditque roganti,
Qui iam victor ovans crudelibus imminet orsis.

Mactatur sonipes Mithrae [1], celeberque magorum
Congreditur coetus, ductis qui sortibus aptum
Constituant stragi tempus. Differre cruentum
Praecipiunt sortes facinus, gladiosque reponi,
Undecies solido dum luna refulserit orbe,
Atque modo inceptus prope cursum expleverit annus.
Indignatur Aman, sua quod dilata voluptas,
Utque gravi saltem miserorum gaudia luctu
Hauriat actutum, figi decreta per urbes
Curat atrox. Subitus Iudaeis incidit horror,
Et miscet plangore domus : ut quemque suum fert
Ingenium, raptis hic se metitur in armis,
Ille parare fugam trepidat seque abdere lustris.
Pars torpent, pars dilacerant a pectore vestes.
Verum amplexa fovens gremio sua pignora mater
Haud peperisse velit nunc primum, uterosque beatos

[1] Mithras nomen solis apud Persas, cui teste Xenophonte (Cyrop. VIII) equos immolabant.

Inclamat steriles. Ea dum sine lege geruntur,
Mardocheus prudens lugubri indutus amictu
Et moesto incendens urbem clamore sub aula
Constitit : agnoscit vocem plorantis Edissa,
Deque suis unum mittit commota ministris,
Qui dolor unde repens ortus scitetur ab ipso.
Ille sub haec breviter peraratis acta tabellis
Mandat, et exitium maneat quod flebile cives
Edocet : haud mora regem adeat, tentetque precando
Fassa genus, mentem ut mutet saevisque recedat
Consiliis. Fletu postquam regina profuso
Singula perlegit, casu perculsa tremendo
Talia deinde iubet patruo responsa referri :
« Mensis abit ex quo non ora verenda regentis
Visa mihi spretae, curis nec adire gravatum
Se quemquam patitur, nisi quos acciverit ultro.
Mors poena est : adstat stricto ferus ense satelles
Intentus domini nutu caedique paratus.
Quae dum mente puto, pavido mihi quassa timore
Genua labant : nec enim contempta lege necandam
Aut capitis vitta aut regale tuebitur ostrum. »
Propositi ille tenax cunctantem impensius urget :
Haecne suis promissa fides, hic sedulus ardor
Sub casu infando miserae succurrere plebi ?

Quum ducis adversi haud Iuditha expaverit ora,
Coniugis adspectus ea formidaret amantis ?
Eligat, ipsa suo fratres servare periclo
Malit, an alterius tantam concedere laudem
Virtuti, neque enim poscentibus abfore numen ;
Quam vero forti timida haud averterit auso,
Fors ipsi domuique suae impendere ruinam.
Sic altor fidus, pia cui rescribit alumna :
« Non ego, mitte queri, perferre extrema recuso
Omnia, quo nostros instanti a morte reducam.
At mora quaeso trium mihi sit concessa dierum,
Tempore supremum quo per ieiunia Patrem
Perque preces moveam, magna ut rite orsa secundet.
Tu vero et quicunque piis ex fratribus urbem
Incolitis, mihi ne rerum sub cardine summo
Deeste, sed assiduis mecum contendite votis. »
Laetus abit senior : coit undique turba piorum,
Expertesque cibi per ternas ordine luces
Exorantque Deum, sublataque brachia lassant.
Ipsa domus Esther secreto inclusa recessu,
Deformata atro laniatos pulvere crines
Sic manibus passis animoque et voce precatur :
« Summe Deus cui se Israel committit ab aevo,
Quum perspecta tibi cordis penetralia nostri,

Inque hominum arcanos deprendas pectore sensus,
Me patrui haud nescis monitis sapientibus actam
Externum non sponte mea tetigisse cubile.
Spes ea nempe fuit populari ut iuncta marito
Tectorumque umbra latitans obscura fideli
Praedulces natos patriaeque tibique crearem.
Me tamen, haec animo frustra dum vota fovebam,
Assueri ipse manu duxisti regis in aulam,
Haud placito addictam vinclo thalamisque profanis,
Ne populo rebus deesset tutamen in arctis.
Hic quoque non oblita tui legisque verendae
Delicias odi molles ditesque paratus
Commentosque deos ; titulo nec laetor inani,
Sola tuis accenseri cui gloria servis.
Quin mihi, gemmatum festis invita diebus
Quod diadema gero, rerum ut vilissima sordet.
Si non falsa loquor, versamur respice quantis
Obruimurque malis, gravior quibus exitus instat.
Cernis ut horrida hiems densatis undique nimbis
Nos premat, et iam iam violento turbine mergat,
Nos tua qui fuimus sors olim et cura vocati ;
Posteritas quibus est pacto sancita perennis ?
Ergo obmutescent simul ora canentia laudes
Sola tuas ? viduata sacris altaria flammis

Illa viro arridens, paulum ut se mente recepit :
« Ne mirere, inquit, subita caligine septam
Destituit si me ratio ; tuus, optime regum,
Non minus attonitae perstrinxit lumina fulgor,
Coelicolum quam mortali sub imagine quisquam
Se mihi si obtulerit radiis vallatus et aethra.
Non me, certa fides, vana huc fiducia duxit
Securam vetiti ; gravior sed causa subegit
Haud exspectatam tua comparere sub ora.
At nunc parce, precor, languentem urgere rogando :
Commodior iam iam dabitur sermonibus hora,
Decedente die nostrae modo fercula coenae
Non asperneris : quin, si licet, insuper oro
Agagides ne non epulis genialibus adsit. »
Vix ea, quum voti iam compos Edissa parari
Hospite digna suo solers convivia curat.
Obsequio fervent aedes : volucresque feraeque
In verubus lectae strident, quae lancibus aureis
Impositae vario avertant fastidia succo,
Vinaque caelato generosa feruntur in auro.
Inde ubi rex dapibus vultus diffudit opimis,
Incaluitque mero, reginam cuncta profari
Hortatur, quae mente tegat, facilemque petenti
Sese iterum spondet. Verum, quibus ille tenetur,

Haec magis interea cupiens adstringere nodos,
Atque mora, quas accendit, dare pabula flammis
Talibus instantem prolectat callida verbis :
« Te nisi forte meae ceperunt taedia mensae,
Atque suae gravis est domino praesentia servae,
Cras iterum quaeso nostrae commercia coenae
Ne vitare velis, nec non et tertius adsit
Agagides. Casu penitus concussa recenti
Mens mihi torpet adhuc : melius tunc omnia disces. »
Annuit oranti dominus, gaudetque rogari
Coniuge quod reticente ultro petiisset ab illa.

At dirus laris ut Macedo in secreta recessit,
Cum consorte tori natos primosque sodales
Advocat, et coetu medius sic ora resolvit :
« An me felicem quisquam Superisque negabit
Acceptum ? Similis nam cui concessa potestas,
Vel tantae stipantur opes ? quae quum foret urbi
Ampla satis, tamen haud longo post tempore gaza
Crescet in immensum spoliis hostilibus aucta,
Altius ascendi quam quem Fors laedere posset ;
Nec, victum quum sera situ mors inseret astris,
Natis fulta decem metuet domus ista ruinam.
Quid, quod venturi nisi mens ignara magorum,
Crastina mirantem sublimius evehet hora,

Spemque fidemque supra? Verum ut sint omnia praesto,
Quae soliti sibi mortales exposcere votis,
Ne tamen eveniat nobis sincera voluptas,
Unus et ille quidem servili stirpe creatus
Obsistit; merito nam dum me turba veretur
Frontem affixa solo, vix se levat iste sedili,
Securusque meï recta me fronte tuetur;
Egredererque modo augusti quum limine tecti,
Reginae conviva recens, assurgere nobis
Hunc piguit, nedum iustos deferret honores.
Uni adeone mihi prodest concedere regi,
Ipsiusque pater vocitari atque alter ab illo!
Quamlibet inviso generi stet terminus aevi
Vicinus, quaecunque tamen mora longa videtur,
Et taedet spirare, hominis dum funera cernam,
Gratia probrosas quem ni quaesita per artes
Regis obumbraret, iamdudum vana tumentem
Ipse manu exstinxem. Quare, o iunctissima nobis
Pectora, consiliis dubio succurrite vestris. »
Desierat; Zares quem talibus excipit uxor:
« Mens equidem miror tibi quo concesserit audax
Et spectata prius dubiis solertia rebus.
Iamne obstare tibi quemquam malus impulit error,
Vitalique, nefas, etiamnum is vescitur aura?

Nulla adeone cruci pinus datur apta parandae ?
Ni satis ad mortem causae est, at crimine falso
Incautum preme. Qui populum tibi tradidit omnem,
Unius hunc properata, puto, non fata movebunt.
Eia age, ne fias petulanti fabula vulgo,
Exemplo cave, dumque sinit res, exige poenas. »
Sic ea : dicta probant reliqui, stimulantque volentem
Unanimes : silvis altissima quaeritur arbos,
Sustineat laceros positis quae frondibus artus,
Fixaque transverso distendat brachia tigno.
Ipse operi ferus instat Aman, urgetque laborem,
Nec nisi provecta repetit sub nocte cubile.

Dum vero sceleri intentus commenta retractat,
Assueri quibus avertat mutabile pectus
Mardocheo, nectitque dolos, aut terga fugatus
Dat sopor, aut si paulisper fessum implicat alis,
Pallida per somnos inimici occurrit imago,
Supplicioque truci spectantia lumina pascit.
Nunc videt admoti ligno misereque trementis
Immani ut clavus palmasque pedesque dolore
Transfigat, repetito adigit quem malleus ictu ;
Nunc medium videt irridens terraque poloque
Singultare animam : rorantia sanguine gaudet
Membra recensere et gemitus haurire supremos.

Ergo ubi sol primum pelago iubar extulit Indo,
Prosilit e stratis, et gressus admovet aulae.
 Nox ea nec regi tulerat quam longa quietem ;
Artibus acciti solitis multumque vocati
Non venere leves ad pulvinaria somni.
Sidera praequestus lenta auroramque morantem,
Quae vigili superant horas ne perdat inertes,
Annales rerum petit, utque legentis ab ore
In sua fata audit duo coniurasse ministros
Iampridem, commissa quibus custodia portae,
Mardocheo sed enim patefactas indice fraudes,
Confessosque nefas morte expendisse cruenta,
Nunc iterum admonitus, cuius sit munere sospes,
Se meriti vocat immemorem, qui talia nondum
Uberibus donis benefacta rependerit ultro.
Quae secum recolens animi dum fluctuat anceps,
Agagiden referunt adstare ante ostia servi.
Continuo iubet admitti, quem talibus orsis
Compellat prior : « Ede, mihi fidissime, quando
Tempestivus ades, quo sit decorandus honore
Non prius audito, quae tandem amplissima tollat
Praemia, cui mecum debet se Persicus orbis. »
Exsultat tacite Macedo, dum mente notatum
Sese confidit domini, paulumque moratus :

« Ad mea quando, inquit, consulta recurrere visum,
Accipe quae mihi nunc animo sententia surgat.
Mille inter praestans, stabulis quos pascis in altis,
Sistatur quadrupes, qui te domitore superbit
Luxurians animis, phaleris conspectus et ostro.
Ipse autem quem mente geris, diademate cinctus
Gemmanti caput et Sarrano murice fulgens
Praeferat ex auro demissam pectore torquem,
Principis ornatum, populis quando exhibet ora :
Atque ita celsus equo Susorum compita lustret.
Timpana pulsa sonent circum citharaeque lyraeque,
Obstrepet et laeto solennis tibia cantu.
At primos inter proceres et regis amicos
Lora tenens aliquis praeconis talia voce
Clamet : « Io, cives, decet hac incedere pompa,
Cui favet Assuerus, quem vult secernere vulgo. »
Ille sub haec : « Animo accepi tua verba libenti,
Consiliisque utar pulchris. Quin, mente sagaci
Cuncta apte siquidem digesti haud irritus auctor,
Et tota mihi te non ullus amicior aula est,
Eximio anteibis praeco quem dignor honore.
Mardocheus Iudaeus is est. Accingere pompae,
Dictorumque cave ne quidquam oblitus omittas. »
Deriguit, subito velut ictus fulmine, regis

Imperio Agagides, et se tellure sub ima
Occultare velit ; verum non hiscere contra
Confidit quidquam, rabiemque introrsus obortam
Dissimulans hilari vultu mandata capessit,
Devotique parat capitis decorare triumphos.
Imposito frendens qui postquam est munere functus,
In sua se furtim recipit per devia tecta,
Fata, deos, dominum seseque ubi teste remoto
Incuset, gemituque aegrum lacrimisque dolorem
Effundat tacitis, misero at solamen id ipsum
Eripitur : famuli en adsunt, qui nomine regis
Ne celebranda monent ineat convivia sero.
Vix suus imperio paret, subitoque malorum
Oppressus cumulo exhaustis graviora veretur,
Quoque incerta magis, magis eventura tremiscit.
Non aliter quam quum biiugos pavor incitat acer,
Arbitrioque axis volucrum raptatur equorum,
Frustra auriga pavens pressis luctatus habenis
Omnia mandat iners fatis, et lumina condit
Exsanguis, geminae causam ne mortis, acutos
Hinc cernat scopulos, illinc immane barathrum.
Quo festae miserando epulae lautique paratus,
Quem nigro circumsiliunt examine curae ?
Ora tamen fingit solers, frontemque serenat.

Rex genio obsequitur, nec tam dapibusque meroque
Perfruitur quam colloquio praesentis Edissae.
Adspectat vultus nunquam exsatiatus amatos,
Et captat voces, pendetque loquentis ab ore.
Tunc ita : « Suspensum quid me, dulcissima rerum,
Usque tenes, mentisque viro secreta fateri
Cunctaris ? meane est adeo suspecta voluntas ?
Ante fretum fugient converso flumina lapsu,
Atque suos fluctus Ganges miscebit Hydaspae,
Quam tristem per me doleas experta repulsam.
Quare age, magna vove : nunquam fraudabere voto,
Dimidium nec si succurrat poscere regni.
Ne verbo indubites, per, qui videt omnia Mithram
Perque tuos iuro, potius mihi sidus, ocellos. »
Candida quem roseo coniux sic ore secuta est :
« Si mihi regnandi nunquam fuit ulla cupido,
Mene queant hodie tales praestringere curae,
Quum vitam servasse meam vitamque meorum
Grande tuum mihi munus erit ? Ne longius erres
Ignarus, genitrice satam quam Perside reris,
Iudaea tandem me disce ab origine cretam.
Limine sub vitae, gemini post fata parentis,
Mardocheus me suscepit sibi sanguine iunctam,
Ipse expers prolis, pater et tutela relictae.

Ille unum a teneris docuit me agnoscere numen,
Tempore quod nullo aut spatio finita locorum
Regna tenet, cui sol et cetera sidera parent
Ipsius per inane manu proiecta potenti.
Ille etiam varias animum mihi finxit ad artes,
Connubiis addicta tuis ut coniuge tanto
Essem indigna minus, tibi nec despecta iacerem.
Sed quid Achaemenio non displicuisse regenti
Expedit et, quo tu, cingi diademate frontem.
Me quando atque meos prorsus discrimine nullo
Exitio damnant decreta recentia cives ?
Quod tamen ob facinus ? neque enim servantior usquam
Gens aequi legumve magis studiosa tuarum.
Est nempe, est aliquis qui nos et nostra perosus
Crudeli innocuos molitur tollere leto,
Regius idcirco tanquam sibi traditus esset
Annulus, ut dominum diris inscriberet ausis.
Parva loquor ; tibi namque ipsi quum fata pararet,
Imperium cupidis ut venderet advena Graiis,
Pollicito in caedem custodes impulit auro.
Qui postquam coepti scelerato sanguine poenas
Solverunt, sociis ne non exsisteret ultor,
Perdere constituit, cuius meritoque fideque
Sospite in hanc lucem laetatur principe regnum.

Anne quis ille rogas etiamnum ? Hunc adspice coram
Avertentem oculos atque ad mea dicta paventem.
Si negat admissum, pro me crux illa loquatur,
Quae patruoque meo regisque parata clienti
Istius surgit non falsus in aedibus index. »

Insueto haec inter turbatus verba tumultu
Dicentem modo rex, modo deformata tuetur
Attoniti ora rei. Veluti tum denique somno
Excussus non ante viri miratur apertos
Perspexisse dolos : iampridem in retia lapsum
Nunc manifesta fides : stimulos pudor adiicit irae.
Iudicium sed enim quia praecipitare veretur,
Sola petit loca, florentesque perambulat hortos,
Ardua ubi cedrus palmae sociata comanti
Solibus exclusis frigus sustentat opacum.
Primus ut accenso paulum deferbuit aestus,
Atque serenato redit in triclinia vultu,
Res male sopitos iterum nova suscitat ignes.
Ecce acclinis Aman spondae qua regia corpus
Composuit coniux, genibusque iacentis inhaerens
Multo cum gemitu veniam poscebat ab illa.
Tum laesi Assuerus furiis agitatus amoris :
« Scilicet id restabat adhuc, ut proditor iste
Consorti nostrae me vim spectante pararet !

Usque adeo nihil huic vetitum ! Sed talia demens
Ne renovet faxo. » Quae postquam verba locutus,
Dum genus exquirit secum memorabile leti,
Missi exploratum fera se vidisse reportant
Instrumenta necis medio surgentia tecto
Agagidae atque eadem summos aequantia muros,
Nec, cui structa forent, servos tacuisse rogatos.
Non dubitat rex ulterius, famulisque vocatis :
« Sublimem rapite hunc, illique affigite trunco,
Ignarus sibi quem posuit, sub moenibus urbis
Qui surgat, grata ut capiant spectacula cives. »
Vix bene desierat fari, mandataque iussi
Perficiunt alacres : obnuptum protinus ora
Subvectant humeris, miseroque illudere certant,
Quem suadente metu modo numinis instar habebant.

Tunc Esther : « Merito per te, iustissime vindex,
Iste luit facinus ; sed quid Iudaea propago,
Quid cives meruere mei, quos criminis ille
Morte sua absolvit ? Vulgus miserabile mecum
Finge : bis ante pedes volvi, dextramque precantem
Tendere, [illegible] tendebat submisso poplite dextram. —
Parce pio generi, quod si servaveris, et me
Sic servasse putas, iam fratribus una superstes
Non equidem vivam, ni possim perdere [illegible] »

Allevat orantem dominus, dein haec ita fatur :
« Rem petis insolitam, mea lux, nempe irrita regis
Ut cessent edicta, palamque sit illius error.
Sed quia iusta rogas, nec gens mihi gratior ulla est,
Quam talem quae te genuit, laetusque volensque
Do quod vis : licet insontes subducere leto ;
Quae tamen ut sceptri salva gravitate gerantur,
Consule cum patruo, noster cui creditus esto
Annulus, atque Asiae mecum qui tractet habenas.
Olli ideo minus obstringor, quod depulit enses
In caput hoc strictos casso conamine, quam quod
Induxit thalamis te, coniux aurea, nostris.
Nunc age, si qua super tacito sub corde reposta
Vota foves, profer : lassaberis ante iubendo,
Quam nos parendo. » Cui talia reddidit Esther :
« Si thalami non pertaesum, nec gratia vilis
Est mea, concessis unum, precor, insuper adde.
Non solus rabidos concepit mente furores
Saevus Aman : animos regni dispersa per oras
Conscia turba dedit : plures invenit ubique,
Ut generis socios perversi [1], ita mentis iniquae
Participes, qui nos nullo non tempore crudis

[1] Non desunt eruditi qui putent Iudaeorum hostes ab ipsis caesos Amalecitas fuisse.

Exercent odiis. Quid si veteresque novasque
Offensas sineres ulcisci, et sternere ferro
In nostram quotquot coniuravere ruinam. »
Annuit Assuerus : non antehac laetior unquam
Iairides tabulis decreta novissima mandat,
Periuri quibus Agagidae furialia coepta
Suppliciumque refert : ergo quae iusserit ille,
Eventu careant, nec sit qui dicta facessat :
Quin furor Hebraeos ubi iustus in arma vocarit,
Et iugulo hostili defigere suaserit ensem,
Ne gladiis obstet quisquam ; pro viribus imo
Vindictae faveant omnes, atque orsa secundent.
  Scripta celer tradit cursori regia cursor,
Quae quum per satrapas vulgi venere sub ora,
Mirantur miseram in tantum se attollere plebem,
Ludibrio populis multos captiva per annos
Quae fuit, invidiamque premunt : clarescit ubique
Mardochei nomen nomenque potentis Edissae.
At leti modo qui stabant discrimine parvo,
Corde metum excutiunt : perituris morte sub ipsa
Spes iterum certa affulget, luctusque supremos
Gaudia continuant. Vix primo excludere curas
Mens assueta malis audet ; sed pectus in imum
Almae ubi descendit tandem fiducia lucis,

Laetitiae non iam modus : alteri ut obvius alter,
Gratanturque sibi, longisque amplexibus haerent,
Nauta suos veluti mersa quum puppe revisit.
Auxilio nil non supero debere fatentur,
Et votiva parant suspendere munera templo.
Tum stata quum vergente dies se protulit anno,
Praecepti memores, olim Deus ipse Sauli
Quod dedit omnipotens, [1] necopinum cominus hostem
Invadunt, et quas trepidus sibi quisque petivit,
Protractos latebrarum umbris sub luce trucidant.
Vulgusque proceresque cadunt puerique senesque,
Et virgo et cum matre sua tener occubat infans,
Pars molita fugam gladio iugulum obvia praebet,
Pars ope nequicquam divum confisa suorum,
Quae comprensa tenet, respergit signa cruore :
Mox sua mactatis dant tecta eversa sepulcrum.
At quot Aman fulcire genus speravit in aevum,
Tot numero, crucibus suspensa cadavera, nati
Esse Deum terrae pariter coelique potentem
Testantur muti, quem contra tendere non est.
Verum ea non animo movisse ut constet avaro,
Sed nutu supero et monitis coelestibus actum,

[1] Reg. I, 15, 3.

Abstinet exuviis victor, magnasque relinquit
Aspernatus opes. Humanas praeside summo
Sic volvente vices, Iudaeis ultima sorte
Quae finita fuit, mentesque pavore replebat,
Hostibus oppressis ea lux adspectat ovantes.
Facti ut nulla queat famam obscurare vetustas,
Nunc quoque, discedens radiis quum sidus Aquari
Sol lustrat, genti illi agitur de more priorum
Festa dies : nomen ductis a sortibus haeret. [1]

[1] Festum *Phurim*, id est sortium, die antecedente plenilunium Februarii a Iudaeis etiam nunc celebratur.

LIBER VII

MUSA. — LILIA. — GAUDIA DOMESTICA. — VIRGINIS MATURIORIS QUERELÆ. — CONSILIUM PRÆCLARUM. — DOLUS INANIS. — EPIGRAMMATA.

MUSA

Desine iam, quaeso, miserum vexare poetam,
  Musa, datamque ultro fallere parce fidem.
Femina quum tu sis, quum tu iactere puella,
  Non ego te demens conqueror esse levem.
Hoc unum, precibus iustis si tangeris, oro,
  Ut quemdam statuas in levitate modum.
Quid blando mihi subridens modo dextera vultu,
  Maeonia spondes carmina digna tuba.
Me modo, quum primum vocis tentamina sumpsi,
  Deseris, et pactam ferre gravaris opem?
Non toties laesus veteres iterabo querelas:
  Perfidiae cumulus, me nova facta movent.
« Eia age, clamabam, nunc adsis, Diva, canenti,
  Nunc mihi, si quando, Calliopea, fave.

Ardua suscipio : stat Martia dicere bella,
  Fulmineasque acies magnanimumque ducem.
Fac concussa sonent nostris in versibus arma,
  Increpet audaces buccina rauca viros. »
Clamabam : lasciva sonos mihi rettulit Echo :
  Diripuere leves irrita vota Noti.
Nil me Calliope, nil respexere sorores ;
  Destituit nostram Castalis unda sitim.
Materiae deerant bene convenientia verba,
  Aut numeris aderant non satis apta suis.
Per salebras ibat carmen rude, versus et omnis
  Vel languebat iners, vel pede claudus erat.
Quae vos tanta tenet vestri fiducia, Musae,
  Ut precibus flecti corda superba negent ?
An quia, numinibus quum implevimus omnia vates,
  Vos placuit Divas et genus esse Iovis ?
Urbibus in mediis si saltem regia vobis
  Tecta forent, dives qualia Pallas habet ;
Si Tyrio detur discumbere molliter ostro,
  Aurea si dulci nectare mensa fluat ;
Me levius mores laedant vultusque superbi,
  Quos nihil affecta tunc ego mente feram.
Sed colitis solos, agrestia numina, saltus,
  Nec formae studium est arte novare decus.

Antra Larem praebent, vilisque cubilia muscus,
  Quique gregi vobis proluit ora latex.
Regali graditur quando per pulpita pompa,
  Melpomene risus excutit usque meos.
Grande sonat, sceptrumque tenet; diadema sed olim
  Sceptraque si vendat, vix levet inde famem.
Aspera quum Pindi dominas Fortuna fatiget,
  Quae famulum vulgus dona manere rear?
Aeris inops tenuem quaesivit carmine victum
  Maeonides, sacri gloria summa iugi;
Nec meliora exin fulserunt vatibus astra,
  Cura adeo frustra dicimur esse Deum.
Novi aliquem, vobis qui dum se addixerat amens,
  Consuluit rebus segnius ipse suis.
Nunc census ex quo fregit male sanus avitos,
  Ieiuno lapsas ventre requirit opes.
Uxorisque miser sentit convicia parcae:
  Devovet haec Diris vosque virumque simul.
Nempe hac ingratum subeam mercede laborem,
  Ut sterili lauro tempora vincta geram?
Ut Stygium Porthmeus quum me transvexerit amnem,
  Per coetus hominum nomen inane ferar?
At mihi non Helicon, umbrae non gloria tanti,
  Ut libeat servo non toleranda pati.

Quid, quod edax vobis corrumpit pectora livor,
Et commota semel non capit ira modum?
Pierus hanc sensit, sumptis ubi protinus alis,
Aerium natas carpere vidit iter.
Quod tamen his crimen nocuit? Si vera fatemur,
De vobis palmam culpa tulisse fuit.
Transiit a vestris nostra in praecordia pestis:
Hinc et nos vates invida turba sumus.
At puto, nulla Venus Parnassi venit ad arces,
Et iuvat aeterna virginitate frui?
Furta Deum bifidoque ululantes vertice Nymphas
Sat meminisse: vetat plura referre pudor.
Nunc quoque venales vulgo prostare Camenas
Cernimus, et turpi quaerere lucra ioco.
Tene capi, Siculis Siren magis improba monstris,
Atque tuis potui thura cremare focis?
Ah me Castalios malus error adire recessus
Egit, et inviso subdere colla iugo.
Irrita nunc saltem taedet me fundere vota,
Et cive ingenuo verba minora loqui.
Aut accita tuis praeceps allabere sacris,
Aut mihi servitii vincula deme gravis. —
His ego dum mentem solabar questibus aegram,
Musa repens oculos adstitit ante meos.

Fallimur ? an patuit geniali Elegeia cultu ?
Ambibant nitidas myrtea serta comas.
Ut vidi, motae ceciderunt protinus irae,
Tantus in adducta fronte nitebat honor.
Illa palam iustum vultu confessa dolorem,
Purpureo tales edidit ore sonos :
« Quid totum frustra turbas Helicona querelis,
Iurgiaque Aonio nectis, inepte, choro ?
Unde, rogo, fastus venit tibi causa recentis,
In nos ut minimum iuris habere putes ?
Pegasidum gremio nunquid te sustulit una
Nascentem, et tepido fovit amica sinu ?
Serus et iniussus furtivo nostra petisti
Sacra pede : audacem non repulisse piget.
Plectra tibi annuimus faciles, citharamque canoram,
Atque elegos dedimus fundere posse leves.
Ecqua tamen grandes suasit tentare cothurnos,
Et canere exili fortia facta sono ?
Num te ego debilibus iussi petere ardua pennis ?
Aequora num cymba currere vasta brevi ?
Quod tibi non patrius crevit per carmina census,
Qua devinctus eras, gratia nostra perit.
Nulla prius mecum pepigisti dona, beatus
Quum tibi Permesso viliorHermus erat.

Barbarus ille mihi, vatis neque nomine dignus,
  Carmina qui vecors utilitate probat.
Assidue tibi quod rumpit malus ilia livor,
  Arguimur pectus felle tumere nigro.
Scilicet admittunt probrum quodcunque poetae,
  Nos vitio fingunt non caruisse pari.
Caetera non dignor commenta refellere, quae nos
  Idalia narrant incaluisse face.
Non, reor, ista dedit fallax documenta Pyreneus,
  Qui stupra dum sperat, corpore planxit humum.
Casta trahunt Musas : procul hinc estote, procaci
  Quos iuvat invitas nos adhibere ioco.
Delicias, fateor stolidae contemnimus urbis,
  Odimus et turbas raucisonumque forum ;
Nec Phrygio nobis surgunt de marmore tecta,
  Dum rigui fontes antraque sola placent.
Sed tibi tanta movent nostri si taedia saltus,
  Qua repetas urbem, semita multa patet.
Non hic Daedaleus labor aut custodia claudit
  Effugium : per me tu modo liber abi. »
Sic effata pedemque refert, visuque relinquit
  Attonitum, vati dum stupor ora premit.
Ut rediit sensus, raptis a fronte corymbis,
  « Aeternum, dixi, vive, Camena, vale. ! »

Tollebamque recens animos libertus, et astra
  Vertice sublimi tangere visus eram.
Vix tamen inde dies processerat unus et alter,
  Tendebamque volens in nova vincla manus.

LILIA

Manibus date lilia plenis.
VIRGILIUS.

Ver ubi purpureum genitales evocat auras,
  Et peragit gratum daedala Chloris opus,
Quem non halantes iuvet ire redire per hortos,
  Dives ubi vario flore renidet humus ?
Sive rubet quidam, iucunde laudo rubentem ;
  Sive magis flavet, me trahit ille color ;
Utque suus nitor est cunctis, sua gratia formae,
  Lumine quemque notans inde vel inde probo.
At mihi non oculos delinit blandius alter
  Lilia quam niveis conspicienda comis.
His violas molles ferrugineosque hyacinthos,
  His reor Idalias cedere iure rosas.
Nec tantum me forma capit, sed floribus illis
  Ex vero felix omen inesse putant.

Scilicet hos populis constat portendere pacem
Et libertatis commoda magna probae.
Saucia quum fleret geminatas Gallia clades,
Talia lugentis verba fuisse ferunt :
« Semper ego infidas voces cassumve secuta
Augurium, praeceps in mea damna ruam ?
Quid me non aquilae de se sperare iubebant ?
Imperium et quantas terra ministrat opes.
Hac ego nunc iterum vana nimis alite freta
Sustinui Rheno tendere vincla patri.
En prommissa fides : fracto bis Sequana cornu
Victori famulas praebet inultus aquas.
Quem modo non timui malesana lacessere bello,
Pignora multa mei Teuto pudoris habet.
Hosticus ut vero toties me laeserit ensis,
Plus a cive meo vulnera facta queror.
Tristia pandit adhuc caeci monumenta furoris
Urbs mea sacrilega paene cremata face.
Caesaris o procul hinc volucres estote sinistrae !
Obscenas mecum devovet orbis aves.
Henricum, proceres, Henricum arcessite nostrum,
Qui plena referat lilia fausta manu.
Ille vir, ille mihi poterit succurrere solus :
Una meis ille est flos medicina malis. »

Parte, Henrice, refert patriae tibi vota dolentis,
Parte cito interpres dat rapienda Noto.
Sceptra tibi nempe hac offert gentilia lege,
Ut signis adimas lilia picta tuis.
In manibus fortuna tibi est: nihil amplius obstat
Quin curis statuas exsilioque modum.
Regna vocant, bene quae pacta mercede parabis:
Eia age. quid cessas? accipe daque fidem.
Post ubi sublimis rerum tractabis habenas,
Irrita qui culpet foedera nullus erit.
Obstitit egregiis probitas saepe anxia coeptis,
Saepe fuit plebi verba dedisse pium.
Abnuit invictus sinceri pectoris heros,
Et: « Damnosa licet, vera fatebor, ait.
Fraude alii sibi regna parent: mihi purpura nunquam
Tanti erit ut mentem dissimulare velim.
Non spernenda quidem memoratis praemia, cives;
Sed capere indicta conditione vetor.
Quae dilecta meas umbrarunt lilia cunas,
Et tumulo fient apta corona meo.
His sine nil plebi delata a plebe potestas
Proderit, et regis nomen inane geram.
Obsequio fas est mercari sceptra tyrannis:
Aut nihil aut vere rex ego vester ero.

Æternum ut caream regno, stat iura tueri,
Quae mihi natalis, quae dedit ipse Deus. »
I nunc, et priscos iacta mihi, Roma, Catones:
Pace tua, quiddam Gallia maius habet.
Borbonidum Carolus clarae lux altera gentis,
Hesperias arces Marte favente quatit;
Aut sua si quondam prodit Victoria signa,
In nova non fracta praelia mente ruit.
Viribus inferior, numerum virtute rependens,
Innumeri solus militis instar adest.
Quem non arma domant, ducis hunc clementia vincit:
Fit cito defensor qui prius hostis erat.
Ille redux postquam patriae dedit oscula terrae,
Omnis adoptivis floribus albet ager.
Surgentes etiam si oppresserit atra procella,
Mox fato attollent candidiore caput.
Nec sibi nec magnis unquam patruelibus impar,
Franciscus superat facta paterna suis;
Quem raro vidit Caieta satellite cinctum,
Impavido belli pectore ferre vices.
Quassatas penitus circum quae disiicit arces,
Assilit experti ferrea grando metus;
Nec prius obniti cessat, quam militis arma
Excussit manibus fortior hoste fames.

Multum habeat quamvis solium sublime decoris,
  Est insigne magis sic cecidisse decus.
Regna tenet victor: teneat licet, attamen unum,
  Cetera qui rapuit non rapuisse dolet.
Laus, Francisce, tibi superest pulcherrima regum,
  Dum vetus in populi corde perennat amor.
Te tua Parthenope vultu moerente requirit,
  Uda genas, glaucos dilaniata sinus;
Et captam durus valida nisi compede custos
  Arceat, ipsa tibi moenia pandat ovans.
Quod pote, vota facit, sortisque levamen iniquae,
  Condita secreta lilia mente colit.
Salvete, eversi spes o fidissima saecli,
  Borbonidum flores Borbonidumque domus:
Ingentes salvete viri, sub luminis oris,
  Quos sibi seductos plebe sacravit Honor.
Macti animis! satis atque super non vestra luistis
  Crimina: iam cœli detumuere minae.
Respexere pios tandem pia numina mores:
  Et patriae et vobis mollior hora venit.
Lilia deposcunt gentes sibi quaeque latinae,
  Iustitiae et Pacis signa futura bonae;
Lilia in adventu nascuntur plurima vestro,
  Splendidior vobis unde triumphus eat.

Inde nurus nectet sollersque puella coronas,
  Obvia quas regi dedita turba gerat;
Inde reus voti velabit templa sacerdos,
  Praetexentque sacras candida serta fores;
Atque ubi sera iterum terras Astraea reviset,
  Non alio veniet flore revincta comas.
Haec ego dum nuper tacita sub nocte canebam,
  Pectora Latoi numine plena Dei,
Clarius a dextra micuerunt Virginis ignes:
  Intonuit sudo laevus ab axe fragor.

GAUDIA DOMESTICA

Prodit io votis parens, et sidera coelo
  Hesperus inducit, stella benigna mihi.
Nunc licet assiduo lassum cessare labore,
  Et qua fert animus, iam licet ire viam.
Accelerare monent hiemalia frigora cursum,
  Sed magis absentis me laris urget amor.
Luce nova egressus tandem mea tecta reviso,
  Parva, sed o quantis tecta referta bonis.
Hic Pax, hic mitis posuit Concordia sedem,
  Atque immota Fides ingenuusque Pudor.
Ut primo noti resonant in limine gressus,
  En crepat excussa ianua mota sera ;
Turbaque natorum reducem circumsilit omnis,
  Quae sua testatur gaudia mille modis.
Pulchra simul lis exoritur, dum quisque salutem,
  Quisque patri dum vult oscula ferre prior ;

Dumque pio trahor in varias certamine partes,
  Vix aditus nobis ad penetrale vacat.
Provida ibi coniux adventu laeta mariti
  Addidit algenti ligna cremanda foco;
Folle dehinc flammam ciet, admotoque sedili
  Amplexu fotum membra levare iubet.
Tum niveo mensam consternit sedula lino,
  Coenaque quae poscit singula vasa locat.
Munditiae viden ut niteat splendore supellex,
  Vitrea quam pura pocula luce micent?
Cuncta tamen mulier properanti pollice tergit,
  Nausea ne subeat pulvere facta levi.
Interea narrat quae nos audisse iuvabit,
  Atque boni quidquid contulit acta dies.
Tristius at si quid cor turbat, id omne siletur,
  Ne qua mihi frontem ruga subinde notet;
Maternisque licet sine fine exercita curis,
  Nil nisi quae tangunt ingemit illa virum.
Sed pueri ad lusus dudum rediere, favetque
  Disparibus studiis ingeniosa manus.
Caeruleas hic pingit oves viridesque capellas;
  Purpureus croceo piscis in amne natat.
Plumbeus his recto disponitur ordine miles,
  Et vario populi proelia Marte novant.

Nunc armata premit fusos Germania Gallos,
  Nunc suspiratus, Galle, tibi ultor adest.
Tessellis alius male firmas exstruit aedes,
  Et pavet afflatu ne sua tecta ruant.
Lusibus accedunt risusque iocique soluti;
  Nam venit ad partes garrula lingua suas.
Mox tamen in tenero comparet amabilis aevo
  Mobilitas, fixos nec sinit esse loco.
Surgentesque domus fragilesque valete manipli;
  Tuque, opere in medio, picta tabella vale!
Implicitis manibus libet instaurare choreas,
  Dum regit alternos naenia prisca pedes.
Te gentis referunt decus et tutela Britannae,
  Qui procul a patria fortis in arma ruis.
Sed deserta domi moeret fidissima coniux,
  Et desiderio carpitur usque tui.
Ah, quoties altae scandit fastigia turris,
  Exploratque viam qua rediturus eris!
Pro domino atratus miserae se nuntius affert,
  Scitantique gemens talia reddit herae:
« Hei mihi, tam nitidis lacrimas invitus ocellis
  Eliciam, at cogunt ultima iussa ducis.
Ornatus Phrygios et Coas exue vestes:
  Haec olim, nunc te vellera pulla decent.

Cui coleris, nusquam est : hostili saucius ense
  Corruit, uxorem nomine saepe vocans.
Quattuor armigeri positum subiere feretro,
  Iustaque solverunt rite suprema viro.
Cespite de viridi tumulus tegit ossa, comaque
  Ros maris hirsuta signat odorus humum.
At summo Philomela sedet moestissima ramo,
  Manibus integrans exsequiale melos. »
Sic memorant nati : vocum dulcedine captus
  Nil moror argutis plena theatra choris.
Excita miratur somnis et murmure blaeso
  Postremos iterat parvula nata modos ;
Inde e carbaseis tendens sua brachia cunis,
  Gestit in amplexus posse venire meos.
O risu suavi, blanda mihi cara loquela,
  Huc ades, inque meo lude, puella, sinu.
Fas tibi cum barba nostros vexare capillos,
  Fas ire in patrias ungue secante genas.
Mi puerum dilecta cohors ; sed pectore in isto,
  Quamvis ipse negem, tu loca prima tenes.
Praepositae, fratres, ne succensete sorori :
  Praecipuus matri vos amor, illa patri.
Nec me causa latet : patris vos ora refertis ;
  Quanto illi melius candida mater inest !

Mater inest: agnosco oculos, agnosco labella :
  En, qui me rapuit, dulcis in ore decor !
O nimium felix Hymenaee facesque beatae,
  Quae bene iunxerunt hanc mihi meque sibi !
O festos gemmaque dies candente notandos,
  Quum Lucina meum visit amica Larem !
Coniuge dum laetor teneramque recenseo prolem,
  Quid, mihi quod voveam, iam superesse rear ?
Det gazas aliis, aliis Fortuna coronas,
  Quae dedit illa prius sint modo salva mihi.
Quum volet ipsa, caput Mors hoc detrudat ad umbras,
  Dum sero pueros sub sua iura vocet.
Ne sit ut ullius deplorem fata superstes,
  Parcarumque senex stamina longa querar.
Sed melius propero mergantur funere, quam si
  Degeneres olim fama sinistra premat.
Ah, mala ne castos laedant contagia mores,
  Neve horum quemquam sit genuisse pudor.
Stet precor, et pietate domus nitatur avita :
  Quod si praestiterint, cetera dono Deis.

VIRGINIS MATURIORIS QUERELAE

> Ne mirere mihi si tam verbosa querela est :
> Scilicet Harpocratem femina nulla colit.
>
> AUCTORIS EPIGRAMMA.

Illum ego devoveo qui, sicubi nascitur infans,
  Publica mandari iussit in acta diem.
Inde puellarum scrutatur quilibet annos,
  Et sibi nos ultra verba dedisse vetat.
Ut bene natales celem, tabularia clamant,
  Lustraque testantur me geminasse tria.
Sed graviora queror : iustis maturior annis
  Iam mihi ruga notat quantulacunque genas ;
Et modo comebam flavos dum pectine crines,
  Derigui : in flavis candidus unus erat.
At, reor, e speculo nisi falsa resultat imago,
  Non isto penitus cessit ab ore decor ;
Nec, qua flore novo socias anteire ferebar,
  Ex toto periit iuncea forma mihi.

Cur tamen abiicior misera, et nubentibus illis,
  Retia fallentes aucupor una procos?
Siccine me iuvit toties variare paratus,
  Atque iacente procul verrere veste solum?
Siccine, quo gererem sublimes vertice nodos,
  Sponte satas emptis implicuisse comas?
Terpsichores adeo didicisse haud profuit artem,
  Consonaque ad vocis fila ferire modos.
Quid, quod saepe mihi linguam cohibente pudore,
  Sunt mea pro lingua lumina iussa loqui?
Et mea saepe parum tectis connubia verbis
  Proposuit voti conscia facta parens.
Num surdum genus hoc credam, num luminis orbum?
  Certe in me lentos constitit esse viros.
Prava essem facie, magno sed praedita censu,
  Arcta procis fieret quamlibet ampla domus;
Nunc mihi quod non praefertur gravis arcula nummo,
  Innuba marcesco conficiorque situ.
Sunt, equidem probo, vincla quibus socilia sordent,
  Et nec legitimo pectus amore calet.
Felices animae bona quae mortalia temnunt,
  Quo sibi liberior fiat ad astra via.
Me natura luto nimium quam dispare finxit,
  Degravat infirmam virginitatis honos.

Quo fassae minus ista ferant reticenda ruboris,
  Non habet exiguum taeda pudica decus ;
Nec nihil esse reor paulo inferiora paternis
  In bene morata sceptra tenere domo.
En erit illa dies, citreo qua flore revinctam
  Pronuba deducet, corripietque moras ?
En erit ante aras verbum ut fatale professae
  Aureolo in digitis annulus orbe micet ?
Iamdudum memini fuscam me, torrida quales
  Aegyptus mittit, consuluisse magam.
Inspicit illa mihi, fatorum ut provida, palmam,
  « Ornatumque para : vir tibi promptus, » ait.
Heu nimium vanas artes vetulamque dolosam !
  Ornatum teneo : vir mihi solus abest.
Vel nullus mihi vel talis contingit amator
  Qui quum dixit : « Amo, » dicere « Duco » cavet.
Prae reliquis, fateor, sibi me devinxerat unus,
  Candide, nomen, Hymen, dum crepat ore tuum.
« Ante, inquit, coeant iterum quam cornua lunae,
  Tu mea, dii testes, si sinis, uxor eris. »
Quam non movissent solennia verba puellam ?
  Haec ubi dicta mihi foedera, quanta fui !
Utque alte insolito saliebant corda tumultu,
  Vix timida potui voce referre : « Sino. »

Mensis abit, longo mensis mihi longior anno :
  Altera mutato pacta puella fuit.
En solos qui se iactant ubicunque fideles,
  Femineas voces pondus habere negant.
Venit et atra dies, sacris qua rite paratis,
  Transiit ante meas pompa sinistra fores.
Obiecto ut prior est cumulata iniuria visu,
  Protinus exarsit motus amore furor ;
Tum media libuit nubentem invadere turba,
  Sertaque turbatis scindere rapta comis.
Inclamare simul : « Proprios tibi quaere maritos :
  Est meus ille : meis cede, proterva, bonis. »
Irruptura fui, nisi quod collapsa repente
  In duro posui frigida membra solo.
Adde quod accedunt nostris ludibria damnis,
  Perque hominum coetus fabula nota feror ;
Invisumque palam mihi quum genus omne virile
  Peiero, vix risum femina virque tenent ;
Et si forte aliquis lingua petulantior adstat,
  Visa sit ut vulpi crudior uva monet.
Insita nempe prope est maribus fallacia laudi ;
  Simplicitas nobis ipsa fidesque nocent.
Improbus ille capit mendacis praemia linguae :
  Nullius admissi conscia plector ego.

Haec quoque dum recolo, vecors fortasse poeta
  In saevos vertit vulnera nostra iocos.
Et mirantur adhuc mihi quod tam tristia passae
  Non solet admixto felle carere dolor!
Instantes aliqua si detur fallere curas,
  Eduxi geminas, nec bene vertit, aves.
Nempe meam volucrum quoties ego confero sorti,
  Altius admonitu sidit in ossa malum.
Non patrios captae saltus umbrasque requirunt:
  Illecebras clathris mutuus addit amor.
Inde lavare modo et rostro modo fingere plumas,
  Cultior ut compar comparis ora trahat;
Inde cient liquido geniales gutture cantus,
  Altera et alterius combibit aure melos.
Nec non exercent varios per vimina lusus,
  Haec illam vicibus dum petit atque fugit.
Quae semel atque iterum transverso ut lumine vidi,
  Ingemui tanquam vulnere fixa novo;
Meque animus teneros disiungere suasit amantes:
  Tantum in nos regni num tibi livor edax?
Abstinui tamen atque ultro fundamina nidis,
  Cum viridi musco vellera densa tuli.
Vivite concordes animae, nec flebile per me
  Discidium vobis afferat ulla dies.

Me satis est tardas moerendo ducere luces,
  Quarum commodior nulla priore venit.
Nox saltem acta polo luctu me sublevet aegram,
  Quamque solet reliquis et mihi praestet opem.
Illa sed in nostros coniurat iniqua dolores,
  Dum portat secum somnia cassa fide.
Nuper enim, dederam sero quum membra sopori,
  Turbarunt sensus talia visa meos.
Dotali in fundo nitidaeque ante ostia villae,
  Flore novo passim consitus hortus erat;
Gramineoque ibi fulta toro, procul inde morantem
  Accibam votis, anxia nupta, virum;
Fatidicum de quo poscebam oracula florem,
  An sibi cura mei magna minorve foret.
Restitit ut medium, foliis circum undique vulsis,
  Omina quae volui sponte vel arte dedit.
Ante pedes duo ludebant, mea gaudia, nati,
  Nec bene constabat pulchrior esset uter.
Ut sua consimilis prodebat forma gemellos,
  Sic fateare illis instar inesse meum.
Me quoque captabant blandi matremque vocabant:
  Quam dulce hoc puerum nomen in ore fuit!
Interea repetens consortia tecta maritus
  Festino tetigit limina prima gradu.

Nec mora, prosilui, pernicique obvia cursu
Inieci duplices in sua colla manus.
Suscitor hic somno : te solam amplexa tenebam,
Culcita de lacrimis protinus uda meis.
Ah, miserum est flammis non apparentibus uri,
Materiamque igni non reperire suo!
Tunc ubi primaevo vernabam flore iuventae,
Atque mihi fastus forma probata dabat,
Quot stolida qualesque procos non mente paravi?
Unica delectus cura futura fuit.
Dumque uni celebres fingebam iuncta triumphos,
Anteibat currus irrita turba meos.
Spes erat haec olim ; sed nunc, aetate magistra,
Quam mea sunt priscis vota modesta magis!
Non volo sit dives mea qui connubia poscet,
Nec rogo se facie iactet ut ille bona.
Quisquis eris, modo sis, qui me dignabere taeda.
Tu mihi vel Croesus, tu vel Adonis eris.
Denique sis tetricus, rudis improbulusque licebit.
Te quoque quam nullum praestat habere virum.
Si tibi sum cordi, sat erit, mihique ipsa videbor
Non male commissas inter habenda nurus.
Aut si non ut ames sum tanti, hoc deprecor unum
Ne meus ulla tibi taedia iggnat amor.

Me satis est tardas moerendo ducere luces,
Quarum commodior nulla priore venit.
Nox saltem acta polo luctu me sublevet aegram,
Quamque solet reliquis et mihi praestet opem.
Illa sed in nostros coniurat iniqua dolores,
Dum portat secum somnia cassa fide.
Nuper enim, dederam sero quum membra sopori,
Turbarunt sensus talia visa meos.
Dotali in fundo nitidaeque ante ostia villae,
Flore novo passim consitus hortus erat;
Gramineoque ibi fulta toro, procul inde morantem
Accibam votis, anxia nupta, virum;
Fatidicum de quo poscebam oracula florem,
An sibi cura mei magna minorve foret.
Restitit ut medium, foliis circum undique vulsis,
Omina quae volui sponte vel arte dedit.
Ante pedes duo ludebant, mea gaudia, nati,
Nec bene constabat pulchrior esset uter.
Ut sua consimilis prodebat forma gemellos,
Sic fateare illis instar inesse meum.
Me quoque captabant blandi matremque vocabant:
Quam dulce hoc puerum nomen in ore fuit!
Interea repetens consortia tecta maritus
Festino tetigit limina prima gradu.

Nec mora, prosilui, pernicique obvia cursu
Inieci duplices in sua colla manus.
Suscitor hic somno : te solam amplexa tenebam,
Culcita de lacrimis protinus uda meis.
Ah, miserum est flammis non apparentibus uri,
Materiamque igni non reperire suo !
Tunc ubi primaevo vernabam flore iuventae,
Atque mihi fastus forma probata dabat,
Quot stolida qualesque procos non mente paravi ?
Unica delectus cura futura fuit.
Dumque uni celebres fingebam iuncta triumphos,
Anteibat currus irrita turba meos.
Spes erat haec olim ; sed nunc, aetate magistra,
Quam mea sunt priscis vota modesta magis !
Non volo sit dives mea qui connubia poscet,
Nec rogo se facie iactet ut ille bona.
Quisquis eris, modo sis, qui me dignabere taeda,
Tu mihi vel Croesus, tu vel Adonis eris.
Denique sis tetricus, rudis improbulusque licebit.
Te quoque quam nullum praestat habere virum.
Si tibi sum cordi, sat erit, mihique ipsa videbor
Non male commissas inter habenda nurus.
Aut si non ut ames sum tanti, hoc deprecor unum
Ne meus ulla tibi taedia iggnat amor.

Me satis est tardas moerendo ducere luces,
Quarum commodior nulla priore venit.
Nox saltem acta polo luctu me sublevet aegram,
Quamque solet reliquis et mihi praestet opem.
Illa sed in nostros coniurat iniqua dolores,
Dum portat secum somnia cassa fide.
Nuper enim, dederam sero quum membra sopori,
Turbarunt sensus talia visa meos.
Dotali in fundo nitidaeque ante ostia villae,
Flore novo passim consitus hortus erat;
Gramineoque ibi fulta toro, procul inde morantem
Accibam votis, anxia nupta, virum;
Fatidicum de quo poscebam oracula florem,
An sibi cura mei magna minorve foret.
Restitit ut medium, foliis circum undique vulsis,
Omina quae volui sponte vel arte dedit.
Ante pedes duo ludebant, mea gaudia, nati,
Nec bene constabat pulchrior esset uter.
Ut sua consimilis prodebat forma gemellos,
Sic fateare illis instar inesse meum.
Me quoque captabant blandi matremque vocabant:
Quam dulce hoc puerum nomen in ore fuit!
Interea repetens consortia tecta maritus
Festino tetigit limina prima gradu.

Nec mora, prosilui, pernicique obvia cursu
  Inieci duplices in sua colla manus.
Suscitor hic somno : te solam amplexa tenebam,
  Culcita de lacrimis protinus uda meis.
Ah, miserum est flammis non apparentibus uri,
  Materiamque igni non reperire suo!
Tunc ubi primaevo vernabam flore iuventae,
  Atque mihi fastus forma probata dabat,
Quot stolida qualesque procos non mente paravi?
  Unica delectus cura futura fuit.
Dumque uni celebres fingebam iuncta triumphos,
  Anteibat currus irrita turba meos.
Spes erat haec olim ; sed nunc, aetate magistra,
  Quam mea sunt priscis vota modesta magis!
Non volo sit dives mea qui connubia poscet,
  Nec rogo se facie iactet ut ille bona.
Quisquis eris, modo sis, qui me dignabere taeda.
  Tu mihi vel Croesus, tu vel Adonis eris.
Denique sis tetricus, rudis improbulusque licebit.
  Te quoque quam nullum praestat habere virum.
Si tibi sum cordi, sat erit, mihique ipsa videbor
  Non male commissas inter habenda nurus.
Aut si non ut ames sum tanti, hoc deprecor unum
  Ne meus ulla tibi taedia iggnat amor.

Quis furor, o iuvenes, fugienti insistere praedae,
In manibus quum sit praeda parata capi ?
Ne, solitum vobis, mihi quid sit quaerite dotis :
Dos mihi sunt mores, dos mihi fidus amor ;
Neve ego paulisper prima si fronte repugno,
Spem tollat subito ficta repulsa mei.
Ingenium sic est nobis ut voce gravemur
Quod laeta nimium mente dedisse iuvat.
Desine iam tandem me sors urgere maligna :
Quum sit amare meum, fac cito des quod amem.
Sin minus, et non ista capit fortuna regressum,
Mors propere curis ponat amica modum.
Tum memor officii condat mea lumina mater,
Extremumque pio murmuret ore vale :
« Nata per assiduos ad finem exercita luctus,
Cui mors in lucro, vita dolenda fuit,
Nunc saltem merito regnis potiare supernis,
Nullus ubi versat corda profanus amor. »

CONSILIUM PRÆCLARUM

Quattuor oceano iuvenes ratis una vehebat,
  Contigeratque viris culta puella comes.
An facies subitos, an dos accenderit aestus,
  Ambiguum est : illam deperiere simul.
Accedunt pariter, pariter connubia poscunt,
  Seque ipsi famulos tempus in omne vovent.
Respicit hos atque hos non torvo lumine virgo,
  Et dubitat solum quem quibus anteferat.
Adiuvat et forma et dulcis facundia quemque :
  Quisque placet, cuivis aemula turba nocet.
Consultare senem lepidum sententia surgit,
  Commissum navis cui moderamen erat.
Hunc adit, et : « Quando non auctor ineptus haberis,
  Consiliis praesto mi precor esse velis.
Bis duo me iuvenes festa sibi iungere taeda
  Exoptant misere, quos ratis ista capit.

Quisque meos poterat sensus inflectere solus ;
Ancipitem sed me copia grata facit.
Quare age, suspensam suade, certaminis huius
Qui referat palmam, quem bene nupta sequar. »
Ille : « Solet genus hoc, inquit, dare verba puellis :
Non verbis, opere est inspicienda fides.
In salsos, velut imprudens, delabere fluctus :
Iam nosces liquido quem sapienter ames. »
Nulla mora est, ficta capitis vertigine virgo
Corpore plangit aquas, auxiliumque rogat.
Vox ea non surdas tantummodo fertur ad aures :
Continuo ternos excipit unda procos.
Puppe sedet quartus, comitumque pericla suorum
Contemplatur iners, tutaque vota facit.
Certantes illi placitae adnavere puellae,
Innixamque sibi restituere rati.
Mutavit vestes postquam nova Nereis udas,
Tersit et humentes disposuitque comas,
Protinus aggreditur prorae resupina magistrum,
Haec ad quem iactat verba modesta parum :
« Viribus indomitis nimium es diffisus amoris,
Te rude donatum quae latuere senem.
Regna tenet, quamvis infans, violenta Cupido :
In freta detrusit tres simul ille, viros.

At non constat adhuc potius cui praemia solvam,
  Officio dum me demeruere pari.
Nil egi, siquidem excessit victoria votum,
  Et me, quam ratus es, plus valuisse queror.
Ede requirenti quae nunc tentamina sumam,
  E tribus ut liqueat quem mihi sacret Amor. »
Navita ad haec : « Imo eventus mea dicta probavit,
  Si modo non stultum quaeris habere virum.
Qui lentus te spectavit de puppe cadentem,
  Nube proco : reliquis desipit iste minus. »

DOLUS INANIS

Consita qua ripis spectat vineta Lemannus,
  Vertebat patria villicus arte solum.
Huic assueta fuit plus aequo litibus uxor,
  Omnibus, in primis pestis acerba viro.
Quem quoties revocat campis sub vespere coena,
  Corrumpunt positos iurgia crebra cibos;
Atque ubi composuit male iuncto membra cubili,
  Eripitur fesso parta labore quies.
Ille, ut erat pacis studiosus et indole mitis,
  Multa diu patiens non toleranda tulit.
Quum tamen haud capiunt rixae et convicia finem,
  Tecta sua exosum fida popina trahit.
Hic misero in seram tractanti pocula noctem
  Diluitur largo cura molesta mero;
Immemorem vel si non res sinit esse malorum,
  Xanthippen tuto devovet usque suam.

Hanc coquit ira domi quod coniux otia ducit,
  Ipsa nec in promptu, cui maledicat, habet.
Deterrere virum potu meditatur, et acri
  Cogere perculsum sub iuga prisca metu.
Plurima corde movens animumque per omnia versans
  Hoc genus extundit femina vafra doli.
Induitur capri exuvias, assutaque lumbos
  Cauda ligat spiris, exsuperatque caput ;
Dat pedibus curvos ungues, dat cornua fronti :
  Absolvit cultum fuscina sumpta manu.
Tartareis iures monstrum de sedibus actum,
  Terrorem superis exitiumque ferens.
Sic instructa foras prodit, reditumque mariti
  Sollicitans votis in statione latet.
Cui, titubante refert vaga dum vestigia gressu,
  Occurrit media larva tremenda via.
Restitit ille animo paulum turbatus, et : « Heus tu,
  Unde venis? quid fers? quem nova monstra petunt? »
Tum mulier saevum quatiens sublime tridentem
  Horrendo tales intonat ore minas :
« Infernis adsum Satanas tibi missus ab oris :
  Te peto, [illegible] dum [illegible] vappa [illegible].
Ne [illegible] caput [illegible]
  [illegible]

Absumptae cyathis noctes neglectaque coniux
  Te mergunt istis, crimina bina, malis.
Iam tibi non ullus miscebit pocula caupo,
  Iam tibi pro vino fusile sulfur erit, »
Vix ea, quum rauco coelum ferit ille cachinno,
  Quo late reboant concava saxa sono;
Atqne ita : « Salve, infit, sero mihi cognite tandem !
  Ut te cerno libens ! accipe daque manum.
Nos, bone, si nescis, arctissima vincula iungunt,
  Auspice te nupsit mi tua quippe soror. »

EPIGRAMMATA

In quemdam fontem Friburgi manantem

Qui modo depressa torrens sub valle volutus,
Turbidus exitium triste minabar agris,
Aerii iussus clivum conscendere montis
Civibus illimes fundo benignus aquas.
Usque adeo nihil est quod non industria vincat,
Naturamque domat rectus ab arte labor.

In Arminii statuam

Ille ego sum per quem Germani nominis hostis,
Hic terna Varus cum legione iacet.
Vincla patri quicunque paras intendere Rheno,
Arminii disces non periisse genus,

In gambrini statuam

Quae fugat immites Helvetia nostra tyrannos,
Gambrinum merito tollit ad astra ducem.
Tristia nimirum reliquis dum sceptra geruntur,
Pro sceptro hic alicae pocula laeta tenet.

In secundas nuptias

Altera post obitum uxoris cui ducitur uxor,
Non hercle is priscam contumulasse meret.

Ad mulierum assentatorem

« Unica, proclamas, mala vix deprenditur uxor. »
Cur tamen hanc censet quilibet esse suam ?

Mirus eventus

Altera si coeunt atque altera femina casu,
Tertia tunc absens vapulat usque probris.

Quæ damnosior ?

Vipereo nequam laesa est muliercula dente ;
Nec minus haec vivit ; vipera rupta iacet.

Distinguo

Esse putasne magas vulgo mala dira serentes ? —
Non equidem ; socrus sed tamen esse liquet.

PRUDENS CONSILIUM

Quum tot sunt stulti, stultosque videre gravaris,
Clam latita et speculum providus abde tuum.

INTER CONDISCIPULOS.

«Crede mihi nummos.»—«Nequeo.»—«At non lex ea nobis
Alter ut alterius, qua pote, damna levet ? » —
« Vera refers ; non infitior ; convenerat olim ;
Cur tamen assidue sum prior alter ego ? »

AD MALUM POETAM.

Ista tua obtrudis quando mihi carmina, Maevi,
Non tibi latrinam suspicor esse domi.

AD VIRGINEM.

Nubendi quando tacitus te concitat ardor,
Coniuge deiectum respue cauta virum.
Scilicet huic eadem vox semper in ore sonaret :
« In me quam melior pristina nupta fuit. »

LIBER VIII

TOBIÆ IUNIORIS PEREGRINATIO. — SERVI ELIEZER AD ABRAHAM EPISTOLA. — PASTOR BONUS.

TOBIÆ IUNIORIS PEREGRINATIO

Tobia genitus peregre ut mandata peregit,
  Quae dederat iuveni conficienda pater,
Festino gressu, pietas quippe urget euntem,
  Omne remetitur, quod modo mensus iter ;
Iamque operum felix et parta coniuge laetus
  Prospicit antiquo moenia iacta Nino.
Absentem interea genitor materque requirunt,
  Uni incumbentis spem columenque domus,
Et quanta ignarus sobolem custodia servet,
  Morte velut functam deflet uterque parens.
Supputat ille dies tenebris damnatus opacis,
  Et reditus frustra tempus abisse dolet.
Illa iterum nummos, causam ut devovit eundi,
  Verbaque non merito movit acerba vito,

Consuetas exosa colos, exosa quietem
  Aerii montis scandit anhela iugum.
Hic natum opperiens latos speculatur in agros,
  Qua via, si redeat, parte terenda patet.
Fallitur ? an spatio bene quae discernere non est,
  Adventare videt corpora terna procul ?
Pendet in incerto, prospectuque haeret eodem :
  Materna exacuit lumina prolis amor.
Agnoscit tandem puerum comitemque canemque,
  Qui reducum velox nuntius esse cupit.
Exsilit, et subitas mulier quasi sumpserit alas,
  Vix celeri libat devia saxa pede.
Sic volat illa domum, primoque ablimine clamat :
  « Natus adest, coniux ; surge age, natus adest. »
Ecce, profecturis qui se sociaverat ultro,
  Irrumpit tectum fidus herile canis.
Saltibus et mota testans sua gaudia cauda
  Gratatur dominis, quo potis ille, modo.
At cursu minime genitrix lassata priori
  Obvia fit nato, collaque cara tenet.
Dum sequitur, tenebrasque manu praetentat inanes,
  Paene patrem offensi destituere pedes.
Commodat huic humerum atque regit vestigia servus ;
  Mox pueri pectus iungit et ipse suo.

Impetus ut primi paulum consedit amoris,
Concordes gressus in penetrale ferunt.
Hic genibus superum prolapsi numen adorant,
Idque sibi faveat, favit ut ante, rogant.
Deinde linit iuvenis genitori lumina felle,
Victori monstrum quod fluviale dedit.
Illi obducta diem modo quae membrana negabat,
Solvitur, et leviter sollicitata cadit;
Iamque senex coeli lucem miratur amoenam,
Quodque magis, nati conspicit ora sui.
Plena prius luctu, — rerum sic vertitur ordo, —
Laetitiae cumulo tecta repente sonant.
Crescere si possint, crescant ea gaudia, Sarae
Connubia et partae quum memorantur opes.
Dum tamen eventu felix et prole recepta
Plus modico exsultat mater, ovatque palam,
Non minus uxorem tacite mens conscia mordet
Indignum toties exagitasse virum.
Hunc probat, huic blandis mulcet nunc vocibus aures:
Fit Salomon, vecors qui modo dictus erat.
Tobiam inde brevi locupletem ex paupere factum
Dote nurus ampla garrula fama canit.
Illius obsidunt gratantes limen amici,
Quod nullus iam non nomen habere velit.

Ipse tot officio senior certare sodales
  Nunc miratur, heri qui prope solus erat.
Instaurare tamen curat convivia turbae,
  Indictoque die quisque vocatus adest.
Verum epulis ubi primus amor concessit edendi,
  Atque viris haustu mens hilarata meri,
Tunc natum genitrix exhausta pericula narret
  Fortunaeque vices et bene gesta rogat.
Omnis idem poscit coetus : poscentibus ille
  Non adversatus talia voce refert :
« Mane erat, et nondum sol illustraverat orbem,
  Dulci quum patriae limine cedo domus.
Ibam digressu moerens, tacitusque dolebam
  Perpetua mersum linquere nocte patrem.
Me tamen erexit coelesti numine plenus
  Azarias, longae duxque comesque viae.
« Siste, inquit, lacrimas : iterum en promitto, parenti
  « Quae reddat veniet mollior hora diem.
« Ne scitare ultra : tribuet solatia vobis
  « Quo volet Omnipotens tempore quoque modo. »
Tigridis ad ripam sero quum vespere ventum est,
  Instituo lassos amne lavare pedes.
Succincta gelidas gradior dum veste per undas,
  Immani piscis me petit ore vorax.

Territus exclamo :socius : « Qua branchia surgit,
« Hunc tu non timida prende teneque manu. »
Pareo consiliis : animae spiramine clauso,
Palpitat et sequitur bellua tracta manum.
Cui, simul immoritur ripae, praecordia iussus
Detraho, cumque acri felle repono iecur.
Ipsa sale adsperso non parca viatica praebet,
Fitque cibus nobis, cui prope praeda fui.
Progresso occurrunt flaventia messibus arva
Sparsaque vitiferis oppida crebra iugis.
Interea miror comitem ut non Sirius ardor
Nec salebrae laedant altaque saxa viae,
Ut nullos alacer vitet fugiatve labores,
Atque sui oblito cura sit una mei.
Quis iuveni candor ! doctae quae gratia linguae
Et gravitas cano vix tribuenda seni !
Nona diem nobis aurora reduxerat almum,
Urbs in conspectu quum satis ampla datur.
Imminet huic ingens umbroso vertice collis :
Ecbatana est nomen, didita fama procul. [1]
Dum muros, aestu medio suadente, subimus,
Qua pateat nobis hospita quaero domus.

[1] Teste Calmeto *Ecbatana* eamdem urbem esse ferunt. quae hodie *Tauris* dicitur. Iacet haec ad radices montis *Orontis* vel *Barontis*.

Tum comes: « Hic habitat Raguel tibi sanguine iunctus,
« Non opibus notus quam probitate magis.
« Apponet lucro mensa sociare propinquum ;
« Nec tibi, si visas, unde queraris erit.
« Est illi prudens, socii sors unica lecti,
« Filia, consortem quam tibi posce tori.
« Ne perdas verba, atque gravem patiare repulsam
« Lex vetat : obtinget debita lege tibi. » [1]
Tunc ego : « Pace tua, mihi non connubia sordent,
« Verum animi dubium fama sinistra facit.
« Septenis etenim, perhibent, ea nupta maritis,
« Passa tamen nullum est intemerata virum.
« Scilicet elisis infernus faucibus hostis
« Oppressit miseros, exitioque dedit.
« Nunc eadem vereor ne sub discrimina missus,
« Ausa pari vecors talia sorte luam,
« Anxius et dum me genitor cum matre requirit,
« His memorer luctus causa perennis ego.
« Obruat ante diem miseros orbata senectus ;
« Saevior iste omni quippe dolore dolor. »
Azarias contra frater : « Timor omnis abesto :
« Quo subeas tutus tanta pericla dabo.

[1] Conf. Numeros XXVII 6 et seq. XXXVI 6 et seq.

« Nempe illos similesque feris et prolis habendae
« Immemores traxit sola libido viros.
« Inde in se superi moverunt vindicis iram,
« Iustaque conceptum poena secuta nefas.
« Tu vero mea corde memor si dicta recondis,
« Nil in te poterit spiritus ille nocens.
« Odit enim incestum, casto favet aequus amori,
« Coniugii sanxit qui sacra iura, Deus.
« Coepta secundabit dexter foedusque maritum,
« Dummodo percipias quae monet ore meo.
« Ne tibi virginitas fuerit libata puellae,
« Ante Patris summi quam merearis opem.
« Vos ideo pure ternas ex ordine noctes
« Intenti precibus pervigilate simul. »
Haec quum dicta dedit, cognatas tangimus aedes,
Sortis ubi actutum forma novanda meae.
Quamlibet ignotos nos comiter excipit hospes,
Pellibus et stratis flectere membra iubet.
Continuo Anna parens et solers filia virgo
Dant pedibus lymphas, expediuntque penum.
Verum ubi me studio est tuitus pater : « Aspice, coniux,
« Quam magnum instar inest huic patruelis, » ait. [1]

[1] Tobiam Raguel consobrinum vocat (Tob. VII, 2); notant autem quidam interpretes eos revera patrueles fuisse.

Dein rogat : « Unde domo, fratres ? namque aut ego fallor,
« Aut idem nobis ortus et una tribus. »
Nephtalidas ambos doceo Ninivaque profectos,
Servitio culpas gens ubi nostra luit.
Plura locuturum non ultra pergere passus
Incidit Raguel talibus orsa sonis :
« Num tibi Tobias notus ? Vivitne ? Valetne ?
« Assyriane iacent ossa, — quod absit, — humo ? »
Cui bonus Azarias : Memori quem pectore servas,
« Illius ante oculos en tibi natus adest. »
Vox erat in cursu : senior complexibus haerens
Me tenet, haec hilari dum simul ore refert :
« Ut te cerno libens tali genitore creatum,
« Saecula cui nullum nostra tulere parem ! »
Multa, pater, de te scitanti multa renarro,
Tristia nec lucis pectore damna premo.
Perculsus casu senior cum coniuge plorat,
Et natae variat lucida gutta genas.
At mihi, quum primum defixi in virgine vultus,
Et mixtum stupui simplicitate decus,
Quum vidi lacrimas, mentis documenta benignae,
Quam comitis visum non grave iussa sequi !
Dum loquor atque rogant, aries grege lectus in omni
Ante focum versat viscera fixa veru.

Mox onerat mensam, cui nos accumbere suadet
  Hospes, et apposita pellere carne famem.
Tunc ego : « Nunquam hodie dapibus ieiunia solvam,
  « Ni concepta mihi sint rata vota prius.
« Magna quidem, fateor, sed non indebita posco,
  « Tu mihi cognatus ne socer esse neges. »
Ille sub his gemere, et cunctandi quaerere causas :
  Purpureus tingit virginis ora color.
Nunc etiam hanc rubuisse pudet, confusaque mentem
  Effugit, atque domus abdita parte latet.
At socius : « Votis tangi, pater optime, iustis
  « Ne dubita : summi est numinis iste timens.
« Adde quod orantis causam lex ipsa tuetur,
  « Quam tu nunc primum ne violare velis.
« Casta reservata est casto tua nata marito :
  « Pacta ideo multis nullius ante fuit. »
Annuit his fretus senior : sponsam Anna reducit
  Pronuba : non aegre visa puella trahi.
Tum dextra Raguel nobis hinc inde prehensa,
  Admovit faciles implicuitque manus,
Praefatusque Deum supplex, palmasque supinas
  Ad coelum tendens omnia fausta fovet.
Hinc epulis functi gratis sermonibus horas
  Ducimus : inde fugit lumina nostra sopor.

Denique secreto Saram locat Anna cubili.
Quod fuerat nullis exitiale viris :
Ingentesque licet curae sub corde recursent.
Hanc animo suadet non minus esse bono.
Ipse, ubi iamdudum cessere crepuscula nocti.
Ingredior thalamos corde micante novos.
Linquimur ut soli. misera tot sorte procorum
Turbati tremimus. sed magis illa tremit.
Reticulo mihi promuntur praecordia piscis.
Et iecoris prunae pars adolenda datur.
Talia nam fieri sapiens praeceperat ante
Azarias. in quo summa reposta fides.
It nidor tectis : valido suffimine victus
Terga dat et frendens insidiator abit.
Sensit abisse soror, magnoque soluta pavore
Ereptam gaudet se simul esse probro ;
« Sintque Deo grates, inquit ; non servula pestem
« Me posthac dicet perniciemque virum. » [1]
Dum vero precibus noctis consumimus horas,
Huc illuc socerum spesque timorque trahunt.
Vincit ad extremum metus, et genero ille recenti
Sollicitus nimium iusta suprema parat.

[1] Confer Tob' III, 9 et seq.

Nostrum explorat anus, facta vix luce, cubile,
Mandantique nihil triste reportat hero.
Scilicet ut nostris somnus subrepsit ocellis,
Excepit consors languida membra torus.
Incipit hinc melius senior confidere rebus,
Et iam laetus avum se proavumque videt;
Atque ubi fossa mihi patuit properata sepulcri,
Protinus exaequat terra regesta solum.
Indicit pecori stragem et convivia mensae
Instaurat Raguel perpetuasque dapes.
In partem quoque me census vocat ille superbi,
Et reliqui haeredem iusta tabella facit.
Nox exorando datur altera et altera coelo,
Perque pias teritur continuata preces.
At mihi sollicitant suscepta negotia mentem,
Et comiti sensus sic manifesto meos:
« Nota tibi, frater, cari mandata parentis,
« Quae mihi nunc etiam perficienda manent.
« Usque Rages recto superest ut limite pergam,
« Qua noster sedes urbe Gabelus habet,
« Argentique illum bis quina talenta reposcam,
« Mutua cognato quae dedit ante pater.
« Me tamen, hinc demum quoties discedere tento,
« Non socer et socrus, non nova nupta sinunt.

Commendo Saram famulis, atque alite gressu
Antevolo : passus aequat et ille meos.
Tecta domus tandem vultusque reviso meorum,
Plus nimio quibus est me caruisse semel ;
Optandumque mihi quidquam superesse negarem,
Reddita si nobis, optima nupta, fores. »
Hic ubi conticuit iuvenis, studiisque faventum
Dum fruitur, stridet cardine versa foris,
Externamque refert serva adventare puellam,
Pone armenta sequi lanigerosque greges.
Nec mora festivo miscetur mensa tumultu :
Omnibus est Sarae nomen in ore frequens.
Consurgunt stratis, studioque excita videndi
Vestibulum propere complet amica cohors.
Ante fores dominam duplicato crure camelus
Invitat tergo desiluisse suo.
Excipiunt nuptam coniux geminique parentes,
Et verbis sociant oscula pressa bonis.
Egregias formae dotes habitusque modestos
Submisso celebrat murmure quisquis adest.
Adventu vicisse suo praeconia famae
Ore ferunt uno, livor at ipse silet.
Sic circumfusi mediam in penetralia ducunt :
Quisque sibi alloquium sedulitate petit.

Accubat huic socrus, positisque ante ora catinis,
Eligat e multis fercula grata rogat.
Ut nato sic illa nuru sine fine superbit,
Melque suum, vitam deliciasque vocat,
Et vice sermonum, — quid enim iucundius illis ? —
Plura prior rogitat, plurimaque ipsa refert.
Per septem postquam celebrata repotia luces,
Congressuque datum est liberiore frui,
Compellat genitor natum, cui : « Res tua, dicit,
Quando agitur, nunc te consuluisse velim.
Qui patris absentem te conservavit amori,
Praemia quae comiti persoluenda putas ? »
Natus ad haec : « Praeclara viri si facta recordor,
Quo sperem pretio reddere posse vicem ?
Susceptum per iter custos mihi fidus adhaerens
Incolumem duxit, restituitque domum.
Huius ope, aggressus vasto me piscis hiatu
Protinus illaeso palpitat ante pedes.
Uxorem mihi dat grandi cum dote pudicam,
Quae nec inops nobis infitianda foret.
Obscenumque ab ea pellit divinitus hostem,
Qui licet insonti causa pudoris erat.
Pergit et usque Rages, recipitque talenta, Gabelo
Mutua quae dederas, et ferat ipse petit.

Insuper ille diu caeca caligine merso
  Qua tibi lucescat monstrat ab arte dies.
Haec ego non unquam immemori si mente retracto,
  Quae satis ampla viro praemia danda rear?
Nulla tamen meritis fuerit ne gratia tantis.
  Dimidium gazae tollere, quaeso, iube. »
Dicta probat genitor : confestim arcessitur hospes,
  Haec ad quem iusti verba fuere senis :
« O mihi dilectos inter praelate sodales,
  Quos tulit Israel flosque decusque virum !
Sospite quod nato fruor, et spirabile coeli
  Adspicio lumen, muneris omne tui est.
Tu mihi das olim caros sperare nepotes,
  Divitiisque reples meque meamque domum.
Tot bona quum dederis, tamen hoc concede supremum,
  Et cumulum meritis nunc, precor, adde tuis.
Dimidium census ne dedignare parati,
  Et licet ampla parum consule dona boni. »
Dixerat : Azarias placido sic excipit ore :
  — Dum loquitur fulget fronte supernus honos : —
« Huic mercedem offers ignarus opesque caducas,
  Quem nihil immensus quod trahat orbis habet.
Nam mihi, mortali cretum quem semine reris,
  Coelicolas inter stat super astra domus.

Quo vestros moveam sensus, mens corporis expers,
  Haec adscita mihi, non mea, forma fuit.
Non temere in terris Raphaël ego nomine dicor,
  Qui praesens aegris sum medicina Dei. [1]
Dum miserans inopi aera dabas caesoque sepulcrum,
  Ipse tibi posuit praemia magna polo.
Cui tua quandoquidem facta est gratissima virtus,
  Rebus in adversis experienda fuit.
Respiciens tandem ille tuos Saraeque labores
  Audiit amborum, me referente, preces.
Illius huc nutu superis delapsus ab oris
  Omnia digessi quo mala vestra levem.
Nec piguit servire homini, dum coelite digna
  Praestat homo, instinctus numine quidquid agit.
Divitiis aucti subitis et honore, cavete
  Æternis noceant ne bona fluxa bonis.
Pauperibus pro re larga succurrite dextra,
  Et vitae maneat qui fuit ante tenor.
Rite Dei vobis celebrentur dona, piusque
  Enarrare palam sit benefacta labor.
Este salutati : commisso munere functus,
  Quo poscor, repeto regna beata poli,

[1] Nomen Raphaël Hebraice est *medicina Dei* vel *Deus sanans*.

Sed tamen hic adero, seriemque fovebo nepotum,
  Florebit solita dum pietate domus. »
Sic ait, atque leves subito tenuatus in auras
  Effugit adspectus, destituitque viros.

SERVI ELIEZER AD ABRAHAM

EPISTOLA

Fidus ave servus terra tibi mittit ab illa,
  Quae media a gemino flumine nomen habet.
Sacrificis adole iam nunc altaria flammis,
  Et cadat actutum victima vota Deo.
Vicimus: ecce venit coniux pulcherrima nato
  Pacta tuo, quo non altera digna magis.
Haec summa est; tamen eventus ex ordine pandam,
  Re bene dum gesta singula nosse iuvat.
De coelo custos properanti pervigil haesit,
  Et sibi commissi rexit amicus iter ;
Meque data urgebant ritu promissa vetusto,
  Supposita tetigi quum tua crura manu.
Inde tui citius perveni ad moenia fratris,
  Quae modico surgunt non ita magna iugo.

Ima tenet clivi puteus, purumque ministrat
  Humorem nunquam deficientis aquae.
Sol erat occasu propior, quo tempore fontes
  Quaerere vectandos virgo nurusque solet.
Hic dum paulisper vacat indulgere quieti,
  Talibus imploro supplice voce Deum :
« Si domini tibi cura mei, tu ne illius ergo
  Conceptas famulo respue, quaeso, preces.
Iam vicibus venient tota huc ex urbe puellae,
  Quas orabo mihi dent relevare sitim.
Si qua meis ultro est laticem oblatura camelis,
  Haec ea sit praesta, quae mihi causa viae. »
Non bene desieram, iustis quum nubilis annis
  Adstitit ante oculos unica virgo meos.
Ut recolo mecum longo quas tempore vidi,
  Assimilis nunquam forma reperta mihi.
Huic certe tua non praestabat corpore Sara,
  Illecebris traxit quum Pharaona suis.
Adiuvat et frontis non ficta modestia formam :
  Plurimus egregio candor in ore sedet.
Hydria sed postquam rapuit demersa liquorem,
  Plenam ad colla refert, iamque abitura fuit.
Tunc ego : « Siste, precor, gressus : aestuque viaque
  Haustus aquae fesso non leve munus erit. »

Vas humero exemptum tereti excipit illa lacerto,
  Admovet et labris officiosa meis.
Dum grates persolvo : « Tuis quoque laeta camelis,
  Unde bibant, infit, deinde fluenta dabo. »
Mox iterum atque iterum puteo demergitur urna,
  Et modo susceptas prona refundit aquas.
Viva per ilignos delabitur unda canales,
  Arida qua sitiens proluit ora pecus.
Interea : « Ne vana putes me quaerere, dixi,
  Si nomen scitor, virgo, genusque tuum. »
Illa : « Mihi proavus Thare, cui filius alter
  Instinctu supero dissita rura petit.
Illius tamen hic mansit sors altera Nachor,
  Vicinaque iacet contumulatus humo.
Hoc sese genitore refert pater optimus ortum :
  Nomen ei Bathuel ; ipsa Rebecca vocor. »
Admiror casum, et numen taciturnus adoro,
  Favit ad extremum quod mihi mille modis.
Dein nitidum loculis aurum depromo, puellae
  Brachia quod nectat vel micet aure decus.
Id timidae dum trado : « Animi cape munera pignus,
  Quae germanus avi donat habere tibi. »
Obstupuit virgo, et : « Tune ille es maximus Abram,
  Saepe meo frater commemoratus avo ? »

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
« [illegible] desunt.
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] »
[illegible]
[illegible]
Inde brevi [illegible] ab urbe,
Atque procul : « Salve, clamat, amice senex !
Quid lentus dubitas nostris succedere tectis,
Adventuque favens exhilarare domum ?
Cara tui soror ut rediit modo nuntia nobis,
Hunc pater in festis iussit habere diem ;
Continuoque tibi mittor, venturus et ultro,
Extremae qui sim duxque comesque viae. »
Haud mora, perpetuo conscendimus agmine collem,
Et tibi cognatae limina tango domus.

Hic senior nobis Bathuel cum coniuge fida
  Occurrunt alacres, et bona verba ferunt.
Respectu domini servum dignantur honore,
  Quo tibi maiorem vix adhibere queant.
Mactata pingui dum coena bidente paratur,
  Me primam invitant fallere pane famem.
Tum: « Ne pane quidem, refero, ieiunia solvam,
  Pauca prius nisi si verba locutus ero. »
Admonitus fari, mentis quam saepe benignae
  Edo tibi dederit pignora certa Deus.
Congestae memorantur opes, armenta gregesque
  Et tua per latas inclyta fama plagas;
Promissamque addo Chanaan serosque nepotes,
  Quot sub nocte micant sidera clara polo;
Utque diu sterilis, iam iam obrepente senecta,
  Uxor prodigio sit tua facta parens;
Indole te mira puerum crevisse magistro,
  Nec mores iuvenem degenerare patris;
Quod voveas superesse nihil, nisi numine dextro
  Ut tibi contingat sanguine iuncta nurus,
Quae miserum matris soletur funere natum,
  Extendatque pium prole beata genus;
Hinc mihi mandatum cunabula visere gentis,
  Si medio detur conciliare toros;

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] est.

At Bathuel : « Non [illegible] accidit aures

Quam tua grata mihi [illegible] sit aequa fides.

Quae tu quaeque tuus [illegible] Abram.

Cui quis enim [illegible] esse neget ?

Ecce tibi est praesto : fas tecum abducere natam

Felicem thalamis quo bona tanta vocant.

Certe equidem rebar fore ut haec mihi lumina quondam

Clauderet indigenae consociata viro.

Sed minime est dubium quin te perduxerit ad nos,

Optatis tribuit qui potiora, Deus. »

Sic ubi conceptum est foedus, sponsaeque suisque,
  Quas cuique addixti, profero munus, opes,
Arte laboratis intextum vestibus aurum
  Et Pharia arcanis aspera vasa notis.
Singula mirantur grati, digitisque retractant,
  Materiamque probant artificesque manus.
Pars epulis prima est noctis data, cetera somno ;
  Efficit at somnum mi nova cura brevem.
Luce orta compello patrem, et cum coniuge pacta
  Me cito dimittat per tua vota rogo.
Ille moras surdus cupido molitur eundi,
  Neve velim suadet praecipitare fugam.
Acrius at precibus genitrix accensa repugnat,
  Nec reserat paucis ora diserta sonis.
Invocat et mores et iura sacrata parentum,
  Festino nimium quae violare nefas.
Bis sibi quinque petit spatium solenne dierum,
  Tempore quo discat parte carere sui.
Tum Laban frater : « Quid si soror ipsa vocetur
  Arbitrio litem compositura suo ? »
Res placet : accitu coram adstat nata parentis,
  Cui senior : « Quid agas rectius ipsa vide.
Te cupit in soceri quamprimum abducere sedem
  Hospes : an instantem mens tibi certa sequi ? »

Erubuit. — nova causa fuit rubor iste decoris. —
Et tenui dixit voce puella : « Sequar. »
Fervere tum studiis tecti penetrale videres.
Quae deceant sponsam dum properare iuvat.
Constituit dotem pater, et quae dona remittat,
Non adeo missis inferiora parat.
Insuper accedunt primaevo flore ministrae,
Quae gratantur herae, blanda corona, novae.
Laudibus hanc sublime ferunt merito, et sibi quidquam
Servitio tali laetius esse negant.
Oscula sed carae nutrix dum libat alumnae,
Velle mori clamat, ni datur ire simul.
Annuit illa libens haud aspernanda precanti,
Atque sibi comitem tempus in omne legit.
Sedula pingit acu nupturae stamina mater,
Occurrente quibus protegat ora viro.
Inter opus mulier variis affectibus errans
Nunc gestit natae sorte superba suae ;
Discessuque eadem penitus commota propinquo
Nunc rigat imbre genas, et velut orba gemit.
Abstergit lacrimas illi pia pollice virgo,
Et dulce arridet, dum flet et ipsa tamen.
Crastina migrantes nos hinc aurora videbit,
Si qua modo humanis rebus habenda fides.

Sed tener impediet quando comitatus euntes,
Et, licet invita, est ipsa futura morae,
Qui ferat haec celerem subiit praemittere servum,
Ne dilata tibi gaudia tanta forent.

PASTOR BONUS

Agne, meae modo deliciae, mea summa voluptas,
Quo videor rapto parte carere mei,
Quae iuga, qui saltus, quae te procul avia tandem
Lustra tenent, votis invida lustra meis?
Sive per antiquae spelaea vagaris Ephratae,
Iordanis profugum seu capit ora ferax,
Sive colis Solimae campos vallemque profundam,
Cedron ubi subito volvitur imbre tumens;
Pastoris gemitus atque aegro pectore fusas
Officiosa ad te deferat aura preces.
A patrio quae te discedere suasit ovili
Credula simplicitas? quo fuga? quemve fugis?
Non ego lactentem puro te flumine lavi,
Vicisti nitidas unde colore nives?
Ubere depulsum non laeta in pascua misi?
Vel nemoris medio defuit umbra die?

Atque ubi tuta gregi reserabat ovilia vesper,
  Non tenerum excepit molle cubile latus?
Pro culmis gremio quoties recubantis herili
  Membra suus vinxit, me vigilante, sopor.
Anne tuo merui tantum perferre dolorem
  Discessu, nisi sit culpa fuisse pium?
Aut potui tibi si quid amans impendere curae,
  Num fuit ad partes frigida dextra suas?
Nec piget officii pretium quod grande secutum est,
  Quum mulcenda dabas candida colla manu.
Inde dies ex quo nobis te invidit acerbus,
  Anxius exercet pectora nostra timor.
Quam vereor ne, dum longe a praesepibus erras,
  Opprimat incautum dente rapace lupus.
Hei mihi, non adero medius qui dira frementem
  Exagitem increpitans, submoveamque pedo.
Quam vereor ne te falsa sub imagine praedo
  Decipiat, saevis saevior ipse lupis.
Blanditiis ne fide miser: saepe improbus ille,
  Quo citius fallat, vellera sumit ovis.
Adde super quae mille pecus contagia laedunt,
  Dantque repentinae corpora multa neci.
Languenti quis enim succos herbasque salubres
  Porriget, et miserans approperabit opem?

Sed te finge etiam rictus vitasse ferarum
  Praedonumque dolos mortiferamque luem ;
Nil egisse puta, tibi enim qui vertitur annus
  Certa pericla magis nec superanda vehit.
Tempora veris eunt: zephyro laxata tepenti
  Floribus et vario germine ridet humus.
Plurimus illudens viridanti gramine rivus
  Perspicuis passim lene susurrat aquis.
Hinc libertatis venit tam dira cupido,
  Lascivaque libet carpere prata fuga.
Nunc tondere iuvat teneras de palmite frondes,
  Pronaque nunc undis ora rigare vagis.
Verum ubi tristis hiems ruri subducet honorem,
  Eludetque sitim lympha revincta gelu,
Quid tibi mentis erit ? nequicquam tecta requires
  Hospita :ieiunum bruma necabit iners.
Funere ne fias luctus mihi causa perennis,
  Ad caulas propere, dum licet, agne, redi.
Insidiae procul hinc aberunt artesque dolosae :
  Tempora securae plena quietis ages.
Pabula sufficiam quae qui semel attigit ore,
  Non rabidam posthac sentiet ille famem ;
Pocula praebebo quae si quis traxerit haustu,
  Protinus excedet non reditura sitis.

Sunt mihi, suntque precor, centum, mea maxima cura,
　Curarumque simul mite levamen, oves.
Nulla mihi non est imis infixa medullis,
　Impositoque memor nomine quamque voco.
Nec suus est illis pastor non notus: euntem
　Laetitia stipant exsuperante modum.
Has ego dum tuear, casus haud ferre recusem
　Extremos, animae prodigus ipse meae.
Nec minus invitas iam pridem sponte reliqui:
　Te solum ut sequerer me pius egit amor.
Quod si, dulce caput, fido redderis ovili,
　Non grege servato gaudia tanta feram.
Sed, reor, id metuis reduci ne forte severos
　Exhibeam vultus, obiiciamque fugam.
Scilicet immites, ceu mercenarius, iras
　Mente geram, facie torvus et ore minax?
O utinam melius pastor tibi cognitus esset!
　Excuteres vanos quam cito corde metus.
Mene latere putas ut sit florentibus annis
　Ingenium praeceps impatiensque regi?
Deniqne peccasti quidquid, tua crimina iudex
　Quando expendet amor, iudice tutus eris.
O mihi si voces blandae, mitissima verba
　Succurrant, animi nuntia verba mei!

Credo equidem, non ulterius mea vota moreris,
  Nam tibi non ferro pectus et aere riget.
En ego luminibus tua dum vestigia lustrans,
  Per rigida offensos saxa cruento pedes,
Exhaustis aegre sustento viribus artus,
  Vox quoque clamantem iam prope destituit.
Erronem tamen usque sequar, nomenque ciebo,
  Dum potero, lingua deficiente,tuum.
Tum mihi si tandem procul aspiciere, resurgam,
  Inque meo nullus corpore languor erit;
Obvius occurram, carisque amplexibus haerens,
  Te prono excipiam laetus ut ante sinu.
« Quisquis ades, gratare libens, mihi redditus ille est
  Agnus io, rumor quem periisse fuit. »
Haec ego vel certe non inferiora locutus,
  Ad stabuli tecum septa revertar ovans;
Neve tuo tingas hamatos sanguine vepres,
  Accedes humeris sarcina grata meis.

LIBER IX

AD LEONEM XIII SUMMUM PONTIFICEM

AD LEONEM XIII

SUMMUM PONTIFICEM

Vicit Leo de tribu Iuda : fugite partes adversae.

Lustra dies monet isse decem, feliciter ex quo
  Sacra, verende parens, infula parta tibi est,
Infula tergeminae mox concessura tiarae,
  Qua nihil in vasto sanctius orbe datur.
Hinc bifores valvas templorumque atria cingit
  Artifici passim texta corona manu;
Hinc quoque laetitiae plenus ferit aethera clamor,
  Septenoque sonat vox iterata iugo.
Post immane nefas assuetae luctibus urbi
  En iterum felix Lucifer ortus adest.
Libera quin hodie dentur si gaudia plebi,
  Cum strepitu flammas Mars reboante vomat.
Dum simul et reliquus certat concentibus orbis,
  Me quoque fila sinas increpuisse lyrae.

Annue conanti dignas tibi texere laudes,
  Atque tuus praesens adiuvet orsa favor.
Si prohibet cantu Musis invisa senectus,
  Sit tamen extremus te cecinisse labor;
Maeandri qualis Phrygii per saxa volutus
  Carmina deficiens ultima fundit olor.
Ut lateam obscurus vatum in certamine magno,
  Pars minima ingentis sim tamen ipse chori.
Frondosae nec enim folium nocet addere silvae,
  Immensis nec obest addita gutta fretis.

Carpinei salvete lares turresque vetustae,
  Unde venit saeclo luxque salusque simul.
Felix illa dies memori non excidet aevo,
  Qua primum nascens, vagiit iste puer,
Qua primum risit genitrici, grandior et qua
  Membraque libravit, composuitque gradus.
Plaudite: tempus erit, cives, quum vestra per illum
  Eminus excita tecta petentur aqua;
Infantesque erit, ante diem genitoribus orbos
  Hospitio capiet quum domus ampla pio.
Enitet ingenium puero maturius annis,
  Cui pietas doti sed tamen aequa venit.

Mox aquilae similis crescentibus evolat alis :
In tenero quantus iam latet inde senex !
Nec tamen ingenio sociata modestia cedit,
Spicula nec livor quo sua vertat habet.
Illectas Latiis praebentem vocibus aures
Tullius alternis Virgiliusque iuvant ;
Dulcia nunc rapiunt Graiae cantamina linguae,
Indigenam ut credat Cecropis ora suum.
Maximus hinc iuvenem studiis devincit Aquinas,
Viventi superae cui patuere domus.
Et iam mysta recens primas operatus ad aras
Esse iubet numen quod modo panis erat.
Coelitibus mortalis honos si pectora tangat,
Invideat, Ioachim, turba superna tibi.
Inde brevi violae insignem ferrugine traxit
Excepitque libens Belgica terra sinu.
Verba Pii referens tantum valet ille loquendo,
Ut rex ut proceres dicta diserta probent.
Insidiis labefacta diu regionibus illis
Res Romana valet praeside tuta novo.
Londini hinc capiunt arces breviterque morantur,
Invitat ripis quem Trasimena palus.
Tuta vigent Umbro per eum commercia ruri,
Abstinet et rapto lege repressa manus.

Parva mora est : graditur Latiali splendidus ostro,
  Et data sunt merito praemia digna viro.
Inde retusa pio Perusina audacia Marte
  Helvetis laudes asseret usque meis.
Ecce autem scelerata Ligur movet impius arma,
  Umbria cui iam iam sub pede victa gemit,
Insideat donec peior Capitolia Brennus,
  Divitiis inhians, Urbs miseranda, tuis.
Credita templa tamen, praesul generose, tueris,
  Ne ferat inde recens Heliodorus opes ;
Instantisque subis vultus iramque tyranni,
  Nec quatiunt certam verba superba fidem.

Vulnerat extemplo feralis nuntius aures,
  Motaque flet magni funere terra Pii.
Hei periisse illum quo res Romana regente
  Pertulit hostiles illabefacta minas,
Qui fuit everso longum spes unica saeclo,
  Justitiae vindex propositique tenax !
Ambigitur summo quisnam succedat honori,
  Quis minime oppressus pondera tanta ferat.
Conveniunt proceres ardens quos purpura vestit,
  Si detur lacrimis imposuisse modum.

Plurima te referunt, Ioachim, suffragia patrum,
  Delatumque tibi est pontificale decus.
Dant plausum reliqui : turbat tamen exitus unum ;
  Nempe sibi tantum non bene notus erat.
Quid Perusine doles modo grex fraudate magistro ?
  Vindicat hunc potior Tybridis ora sibi,
Tybridis ora sacri, rerum cui providus auctor
  Imperium mundi tempus in omne dedit.
Si quis adest pudor, iniustas compesce querelas :
  Omnigenae genti sufficit huius amor ;
Nec iam sponte sua migrat, divinitus agnos
  Pascere dispersos, pascere iussus oves.
Commissas pecudes herbosa in pascua mittit,
  Quae tutante legant gramina laeta pedo.
Navita vel mira sic temperat arte carinam,
  Ut frustra feriat celsior unda latus.
Noctivagam specta ut fluctu iactante phaselum,
  E coelo lumen praebeat ipse suis.
Ipse subit clavo, nec eo vaga prora ministro
  Insidias pelagi caecave saxa timet ;
Et quassata licet, tamen haud obnoxia fatis
  Per liquidas currit mystica cymba vias.
Quippe regit praesens navis moderamina Christus,
  Nec promissa sinit fallere magna fidem.

Quid, Petre, conclamas: « Serva nos; ecce perimus ! »
  Aequore subsidit dum prope mersa ratis ?
Degravet ut reliquos tempestas horrida lembos,
  Qui vehit hunc nullo turbine victus erit.
Vidimus ah quoties nudas rectore carinas
  Irruere in Syrtes destituique salo !
Deceptas Siren quoties trahit improba cantu,
  Illiditque iocans in vada tecta viros !
Solvuntur tabulae, tristique abrepta procella,
  Ludibrium ventis, gurgite transtra natant.
Legitimo tandem piget abscessisse magistro
  Assiliens quorum deprimit unda caput.
Unus at appellit securus navita portu,
  Aequoris hiberni despicit unde vices.

Haud semel, everso penitus mare, vidimus ipsi
  Horribiles subito detumuisse minas.
Quid Germane furis dominator et arbiter aulae,
  Gallia sub talo cui laniata iacet ?
Quidve ferox animis plus aequo elate superbis,
  Coelesti sponsae vincula dira paras ?
Magnanimi flectet non ulla audacia robur
  Pontificis, quum vox : « Non licet » una sonat.

Arma preces saepe infringunt victricia castae,
  Nec pavitat visu territa Roma truci.
Illa feros hostes etiam debellat inermis :
  Altera, ne dubita, parta Canossa tibi est.
Dum loquor, ecce agitur suspecta potentia praeceps,
  Opprimit et casu teque tuosque gravi.
Sic vulsus statuam ut tetigit de monte lapillus,
  Quanta fuit subito corruit icta pedem,
Et modo tangebat celso quae vertice nubes,
  Ruderibus late contegit omne solum.
I nunc, Herberte, et clamoribus orsa protervis
  Comprime, quae vicibus rexque Leoque serunt.

Tuque, prius validae genitrix animosa iuventae,
  Gallia, nunc sterili despicienda sinu,
Dum metuis studioque caves male sana nefando
  Multiplicet partus ne nova nupta suos,
Neve minutatim bona sint discerpta vereris,
  Hoste tuae multo diripiuntur opes.
Ah male dispereunt viduatae civibus urbes,
  Allicit et fures sola relicta domus.
Percipe nunc saltem sancti praecepta parentis,
  Coniugii promit qui stata iura palam.

Quae pateris, summi peperit tibi vindicis ira
  Christiadumque ducis prodita signa prius.
Nunc saltem vitium emenda, quo denique possis
  Per Francos iterum gesta referre Dei.
Praeterea ne te rerum moderamina forma
  Conturbent varia litibus apta nimis.
Desine de fluxi contendere nomine regis,
  Qui dirimat litem dum tibi Christus adest.
An regi, an dominae plebi commissa potestas,
  Praecipuum minime res ea pondus habet.
Iustitiam imprimis animo complectere forti :
  Cetera contingent numine dante tibi.

At patris hinc placidos convertit Hibernia vultus,
  Quam, fidei pretium, conficit atra fames.
Nempe immota minis ausa est obstare tyranno
  Illecebris capto, vana puella, tuis.
Non ideo solidas valuit pervertere mentes,
  Quem penes eloquium stricta securis erat.
Tristior inde subit virgo mentita parenti,
  Ipsorumque bonis effera pellit heros.
Conficit hinc seros iniuria prisca nepotes,
  Qui sua conducti non sibi rura colunt.

Sic miseris audax aliquando exaestuat ira,
  Ut licitum pariter fasque nefasque putent.
Maximus at rector, casus miseratus acerbos,
  Qua sint sancta docet iura tuenda via ;
Indomitoque animos monstrat versante furore,
  Artibus ut pereant optima quaeque malis.
Huic etiam grates meritumque rependit amorem
  Scotia pontificum sedibus aucta novis.

At qua tarda gelu secat arva Borysthenis unda,
  Regna potens tenuit Caesar iniqua diu ;
Et sociare ausus bene quae Deus ipse diremit,
  Arripuit forti sceptra pedumque manu.
Perdomuit sed enim tumidum atque indigna minantem
  De nihilo pestis cui grave nomen inest.
Illa patrem prius ante diem detrusit ad Orcum,
  Nunc eadem nato tristia fata parat.
Nil iuvat inclusum tecti penetralibus imis
  Ante fores vigilum saepe novata cohors ;
Nec refert mutare domum et secreta petentem
  Huc illuc tacitos usque referre gradus.
Quum vicibus rapit et revomit cortina vaporem,
  Atque volubilibus transvolvat arva rotis,

Sternitur et dominum devolvit ab aggere currus,
  Intentamque sibi vix fugit ille necem.
Hinc videas lasso iampridem iudice densos
  Obstricta laqueo fauce perire reos.
Nec, simul ac laevis illusit mentibus error,
  Carnificis vultus culta puella tremit.
Quo magis arcetur, magis inde insania crescit,
  Et plus parte tenet secta nefasta soli.
Una salus visa est regno moderatius uti,
  Et tibi Caesareum subdere, Roma, caput.
Sarmatica erigitur Christi regione propago,
  In mare qua lassis Vistula serpit aquis.
Damnat enim errores ea gens, quos extudit olim
  Photius, in verum quum tulit arma Deum.
Nunc tandem sprevisse odium crudele regentis,
  Atque iuvat coelo liberiore frui.

Quid belli suspensa times, Europa, tumultus,
  Feralesque cies, buccina rauca, sonos ?
Arma fremit Teuto, classem deducit Iberus ;
  Causa : peregrinis aspera saxa fretis.
Nativi carbonis ibi nam copia dives
  Navigiis alas intus adusta movet.

Belligero hinc atque hinc procedunt ordine puppes,
  Fulguraque e transtris iam prope missa crepant.
Pacificum libet inde patrem deposcere sortes,
  Arbitrio sistat qui fera bella suo.
Eloquitur: dubias dirimunt oracula lites,
  Seque refert olea Pax redimita comas,
Quod memori factum ne forsitan excidat aevo,
  Impresso signis aere nomisma cavet.

Nunc vocat in trepidis hunc Lusitania rebus,
  Poscit ab hoc pariter Belgicus orbis opem.
Nec mora, compescit belli discrimina nutu,
  Vaginaque acies paene reclusa latet.
Temperat ille etiam leges, iustissimus auctor,
  Ne fabricae dominus lucra dolosa paret,
Neve opifex, olim pacta mercede laborum,
  Libera composito foedera rumpat iners;
Seditioque cavis oritur quum saepe fodinis,
  Impatiensque operum plebs sine more furit,
Quo vigeant hominum stabili commercia pacto
  Indicit, rerum quod dedit ipse sator.
Ah stolidi, ingeniis nimium ne credite vafris,
  Vendere quae vobis mellea verba solent,

Mittere nec dubitant in aperta pericula cives,
Dummodo divitias seditione legant.
Vos caditis, rerumque illi potiuntur habenis ;
At sine pane patris vestra flet orba domus.
Quin adhibete animos, plenus quum pectora veris
De vestra memorat conditione Leo,
Illius instinctu, divo quem numine cretum
Haud puduit nati nomen habere fabro.
Mortales ut iam varius discriminet ordo,
Una tamen cunctos spes ligat, una salus.
Non ea sors illis lento certare duello,
Sed parili vinclo quos bene iungat amor.
Exuviis inopum ne quis ditescat avarus,
Perque malas artes aera pudenda paret;
At neque, crescentis superante cupidine lucri,
Detrectet manceps, quod sibi sumpsit, opus.
Mittite nunc odiis tandem certare nefandis,
Nec livor stimulis effera corda premat ;
Prisca sodalitiis sed enim quae protulit aetas,
Nunc iterum redeat relligiosus honos.
Disiectum, artifices, in commune addite robur,
Alter ut alterius fortior exstet ope.
At si quis cecidit graviori pondere pressus,
Erigat infirmum foedere iuncta cohors.

Rus vocet officiis sera sub nocte solutum,
  Atque moras dulces nectat ab urbe procul.
Hic tandem proprii felix possessor agelli
  Praediolo subeat rustica tecta casae.
Obvia sit reduci fida cum coniuge proles;
  Inde det e septis sobria mensa cibos.
Ne cave corrumpant castos contagia mores
  Per celebres vicos fundere sueta luem.
Curarum at vacuo, sacris de more litatis,
  Sit tibi sitque tuis septima festa dies.
Officiique memor persta sortisque futurae;
  Cetera, dante Deo, lux bona quaeque feret.
Praemia nec deerunt servo post fata fideli,
  Proque brevi vita vita perennis erit.

Sic aperit sensus coelesti lumine claros
  Eloquio mulcens pectora saeva pater.
Nec minus ille idem iustas ardescit in iras,
  Irarum facibus quum pia causa subest.
Ecce operum in fictos structores lumina vertit,
  Qui digitis tacitas dant referuntque notas,
Talparumque solo fodiunt de more recessus,
  Absit ut infernis turba profana sacris.

Quarta fugit sed enim saeclis volventibus aetas,
Sub terris ex quo terra reperta nova est.
Haec adeo haec tibi debetur, cognomine tellus
Defraudata licet, clare Columbe, tuo.
Ecce ratem solvit Ligurum fortissimus heros,
Cui certum triplici pectus ab aere riget;
Perlustratque tribus tenebrosum puppibus aequor,
Nil maris aut comitum territus ille minis,
Optata prorae donec potiuntur arena,
Qua ruber Occiduam possidet Indus humum.
Diffugit insueto perterritus incola visu,
Mox tamen evictas dat probitate manus.
Inde feros mores ritusque exosa cruentos
Erigit ex umbris gens rediviva caput;
Auctoremque suum agnoscit, numenque veretur,
Et dominis proprias laeta rependit opes.
Compede sic meritum dura si vinxit Iberus,
Roma viro plausit plaudit et usque memor.
Ipsa parentali celebrat solennia pompa,
Illustrique animae solvere iusta monet.

Quid, quod ubi insano fervent loca torrida Cancro.
Pontificis sentit barbarus Afer opem;

Barbarus ante quidem, vestigia, Christe, secutus
  Nunc tua, lustrali crimina tergit aqua.
Militia vigili et sociis tutantibus armis,
  Despicit incursus fusca propago feros.
Dedidicit prope captivos abducere praedo,
  Sparsa nec humanis ossibus albet humus.
Saeva Arabum coniecta manu quum vincula rupit,
  Submittit Meroe libera colla cruci ;
Depositoque metu, sed amore revincta tenaci
  Nunc iterum Romam Punica terra colit.
Tempora festinant, subiget quibus omnia Christus,
  Unus et unius pastor ovilis erit.

Quae vos interea vesana cupido, regentes,
  Incendit stimulis perpetuoque metu ?
Surgite nunc tandem et iuris succurrite summae,
  Nulla forent mundo qua sine iura super.
Rupe tremens igitur solium acclinate perenni,
  Mole sua quae stat flabraque temnit iners ;
Quippe dies aderit mundi quae subruet arces,
  At non vanescent irrita verba Dei.
His sacer antistes fretus, securus iniquae
  Coelitibus sortis tecta decora parat.

Instaurata videt Laterano vertice templa
  Zachariae proles, nuntia, Christe, tui;
Atque recens fluvii qua surgit margine vicus,
  Praeclara, Ioachim, te locat aede Leo,
Sanctorumque auxit quoties altaribus agmen,
  Delubris amor est sistere quemque novis.
Accipiunt laeti sibi quos indicit honores,
  Illius et superos mutua cura subit.
En sata per terras mirata rosaria passim,
  Prona favet donis intemerata parens.
Nam digitis sibi succedunt quot grana remissis,
  Virgo, tibi toties continuatur ave.
Hinc tibi promissi prius optatique clientis
  Spargis in adventum templa superna rosis;
Atque hostile tuens summo luctamen ab axe
  Conteris anguinum calce premente caput;
Astraque dum fingunt dominae duodena coronam,
  Fulcit luna tuos officiosa pedes.
Tuque adeo, tua si non sunt suffragia, virgo,
  Irrita, nec surda respuis aure preces,
Tu, precor, auxilio magnum solare parentem,
  Christiadumque una sic tueare gregem.
Respice non segni quam vos obstringat amore
  Magnanimus rector, te puerumque tuum,

Et tibi nomen inest siquidem Omnipotentia supplex,
  Huic validam mitis protinus affer opem.
Cultoremque et vos memores defendite vestrum,
  Quot numero superos aula beata capit.
Credo equidem, non vos illi favisse pigebit,
  Egregium vobis qui parit usque decus.
Nunc docto laudat perarata volumina Thoma,
  Cui patiens grates de cruce Christus agit;
Inde videt Thomae studiis assurgere fratres,
  Quos sibi devincit relligiosa fides.
Nunc, Alphonse, tibi meritos instaurat honores,
  Aequus Aquinati qui prope laude subis.
Nec tibi, Vincenti, rerum praeconia desunt,
  Sedibus aetheriis quem benefacta locant.
Te simul excipiunt puerique hilaresque puellae,
  Et blaeso celebrat turba minuta choro;
Expansoque caput lino velante sorores
  Adstant, et cantus voce manuque regunt.
Nec, Francisce, tui mens est oblita Leonis,
  Per quem nunc iterum tertius ordo viget.
Vosque favete alacres, quem suspicit orbis, alumno,
  Loiolidae, magni maxima cura ducis.
Discipulus nec enim priscos efferre magistros
  Nec merita addubitat commemorare palam.

Et bene habet, siquidem vobisque illique reposta
  Una sedet maior gloria mente Dei.

Dimidium ecce affert patri lux candida saeclum,
  Elicita est ex quo victima diva polo.
Una simul populis ideo sententia surgit,
  Huic animi ut memoris pignora certa ferant.
Munera certatim gratas testantia mentes
  Divisis mittunt quamlibet orbe locis.
Vaticanus ubi in spatium diffunditur hortus,
  Obtinet immensum porticus alta solum.
Proponuntur opes, gemino sub limite Phoebi
  Quas videt exoriens occiduumve iubar.
Textilia inde trahunt atque inde fabrilia visus,
  Solertique capit picta tabella manu.
Aere nec expressi desunt vel marmore vultus :
  Lysippine roges, anne Myronis opus.
Atque recens quae per terras industria fudit,
  Inventis oculos pascere saepe iuvat.
Cernitur argento pretiosa auroque supellex :
  Artificis dextra plus tamen ista valet.
Vasane commemorem figulo perfecta sagaci,
  Quae vario loculis usta colore nitent ?

An Phrygias vestes, aris mantilia nostris,
Sedula quas docta femina pinxit acu?
An tibi quae fulgent subtemina clara, sacerdos,
Quum peragis ritus, plebe precante, pios?
Quae tulerunt populi, populis mox dona rependit,
Nec sinit ulla datis templa carere Leo.
Sic ubi sol traxit fecundos lucidus imbres,
Deciduas arvis reddere gaudet aquas.

Quis tamen, antistes rerum dum fluctuat aestu,
Misceri studiis otia nulla putet?
Otia Musarum praestat doctissima coetu,
Uranie, coeli quae terit una solum.
Assidua pater ecce polos indagine cingit,
Astraque suspiciens singula quaeque notat.
Signiferum instructo metiri lumine campum
Gestit et immensas ire redire vias;
Sideribusque vagis radio monstrante meatus
Praecipit et curvum, quod teneatur, iter.
Mira magis referam; quippe arte edocta recenti
Ulterius quo mens progrediatur habet.
Inscribi poscunt medicatis sidera chartis,
Apparentque suo singula picta situ;

Atque sibi metuunt ne falsa occurrat imago,
  Effigie quum se multiplicata vident.
Hic quoque cernuntur tranantes aethera nimbi,
  Seu cirros simulant, seu struis instar inest;
Utque illis gravitas speciesque novatur in horas,
  Saepe graves pluvias, saepe serena ferunt.
Haec adeo te cura tenet, pater, una laborum
  Est operam fesso cui variare quies.
Tum semel atque iterum ferientem carmina plectro
  Abripit in partes Musa canora suas.
Implicat haec tibi crinem apio, doctasque sorores
  Advocat: omnis adest ex Helicone chorus;
Atque premit voces, Latio quum syrmate clarus
  Aoniae tentas consona fila lyrae;
Sive elegos moesto tristes effundis ab ore,
  Seu lyricum tractas, nobilis arte, melos.
Barbitos ut posita est, lauros inclinat Apollo,
  Et plausus alacres Castalis ora refert.
Vana, quid effutis vatum commenta, vetustas?
  Tempora mira magis veraque nostra vident.
Vertice supposito nec enim quum sustulit orbem,
  Fertur Atlas digitis increpuisse chelyn.

Dum canit, haud tamen est vestrae pater immemor artis,
  Oblita quos signis charta vetusta trahit.
Eruta iampridem saecli monumenta prioris
  Scrinia quae claudunt nunc reserare iubet,
Defixosque tenent iterum tabularia visus,
  Nocte sub infesta quae latuere diu.
Approperant priscos cupidi recludere fontes,
  Et largis relevant haustibus inde sitim.

Quae tamen interea, Ligurum tibi pessime, fata,
  Imperium gentis qui violentus habes ?
Scenicus imperium vobis quod tradidit heros,
  Ense fugax viso, proditione potens.
Te septis tolerare negant longeque repellunt
  Fulmineis quondam moenia quassa globis.
Praebuit ingressum qua clavis adultera turpem,
  Cede Quirinali, regie latro, domo.
Iam satis atque super penetravit foeda libido
  Et lascivus amor limina casta prius.
Obsessas properante fuga nisi liqueris aedes,
  Opprimet infandum iusta ruina caput.
Lege tibi frustra noceant ne crimina cautum est ;
  Commenta nec enim luditur arte Deus.

Saevit inops animi et perferre lupata recusat
Longius urgenti plebs furibunda malo.
Nonne graves audis gemitus vocesque dolentum,
Unde tuus finxit condoluisse parens?
Tum vero saturi celebrabant otia cives;
Romulidis noti vosque famesque simul;
Perque Italos ea nunc obrepit pallida fines,
Sive tulit casus, dextera sive nocens.
Stipati ratibus longe semota coloni
Quaerunt rura, quibus terra noverca sua est.
Quam sibi dissimilis, veteris quam degener aevi
Illa prius frugum terra virumque ferax!
Caeduntur vites, urunt incendia silvas,
Exundant fluvii, deperit imbre seges.
Dissiliunt fetae nitrato pulvere turres;
Fit tremor hinc terris, tecta revulsa volant.
Non alias Tiberis tam saepe excurrit in agros,
Diluviumque tulit perniciemque satis.
Sumptibus eductam haud dubitat transcendere molem
Obiectumque sibi despicit amnis opus.
Si qua tamen superant, immiti debita fisco
Pabula certatim devorat aula rapax.
Scilicet Ausoniae iussae coalescere partes,
Ne cespes vestro tutus ab ungue foret.

Insuper exspoliat populos Hebraea vorago
  Quae, quo plura datum est mandere, plura cupit ;
Obtulit Etrusco qualis se bellua vati,
  Caedibus augebat quae rabiosa famem.
Argento non iam merces coemuntur et auro,
  In quorum subiit sordida charta locum.
I nunc, atque Alpes propera praecludere vallo,
  Quum medius castris intimus hostis adest.
Nunc rigidum membris apta thoraca tuorum,
  Qui victus inopes in fera bella ruant.
Nunc chalybe obducto naves operire memento,
  Quas male defensas altera Lyssa manet.
Per clades olim generi fundata potestas
  Per clades iterum funditus acta perit.
Istria cum proprio toties repetita Tridento
  Invocat heu frustra vindicis arma sui ;
Immensisque prius vobis quod sumptibus emptum,
  Ruris Erythraei litus arare datur.
Per tormenta tuis sua qui bona tradidit Afer,
  Se queritur victum deteriore Sini.
Legitima te fraudatus mercede sacerdos
  Devovet et claustris virgo fugata piis.
Absumptoque prior censu quem contulit aetas,
  Dira tibi miseri, femina virque, canunt.

Quid, stolide, insanae iactas oracula plebis,
Quam levis huc illuc quaelibet aura movet?
Adspice quam parvo mutentur tempore sortes,
Quaeve sit humanis rebus habenda fides.
Occubuit quina faustum tibi cuspide sidus,
Solaque per noctem stella nefasta micat.
Exululant plateae, saevitque ignobile vulgus,
Massiliense viis carmen ubique sonat.
Haec illa est quae, te facinus patiente nefandum,
Miscuit exsequias tetra caterva Pii.
Turbatas viden' ut volitant vexilla per auras,
Exitiumque tibi tincta rubore parant?
Proripe te, dum fata sinunt, alienaque linque
Atria: funestus regibus iste color.
Expresso sic mala carent quum citrea succo,
Abiicitur pomum percutiturque pede.
Qui male disiectis intrasti moenibus arcem,
Quam rapias, pandit porta reclusa viam.
Sponte labant passim tibi condita tecta domorum:
Aeterna subitas aufer ab Urbe casas;
Atque patris miserum sacra rape funus ab aede:
Inficit augustam triste cadaver humum.
Vendidit hic ideo gentis cunabula Gallo,
Ut neget exstincto non sua terra locum.

Nolanique foro simulacrum everre pudendi,
  Vindice quo nullus iustius igne perit.
Ni properas, monitus praesagi percipe vatis,
  Venturas certo qui monet ore vices.
Atra dies instat prope, qua popularibus artus
  Direptus furiis impia facta lues.
Legati en fugiunt gentis turpisque senatus :
  Lignea clamosis patribus aula vacat ;
Quaeque auro leviter circumlita sella regenti
  Pinea prostabat, pascit adusta focos.
Quid tibi nunc tandem, regum turpissime, prodest
  Tergeminum in foedus dextera iuncta modo ?
Vaticana tamen durat firmissima sedes,
  Atque ingens fastus degravat umbra tuos.
Vincit io Christus, regnat laetusque triumphat,
  Qui propriam plebem vindicet usque malis.

At tibi, restando superas qui strenuus hostem,
  Rite, Leo, grates, qua patet, orbis agit.
Prospera det clemens numen tibi fata, Petrique
  Exsuperare annos, aequiparare Pii.
Quin, sua si precibus non desunt pondera nostris,
  Praeteritis addas altera lustra decem.

Magna loquor, nimium nec tu, pater, accip
  Quum supera fratrem frater ab arce voce
At saltem aeternae properant quae tempor
  Usque vehant laetos et sine nube dies.
Ut pulvis ut fumus si transit gloria mundi,
  At manet aeternum te super astra decus.
Quum volet, excutiat mihi mors non utile
  Sit modo postremus te cecinisse labor.
Haec super, haec maneat me laus, vel mo
  Christiadum numeris commemorasse du
Inventus fuero coeptis si grandibus impar
  Hunc celebrare mihi sit voluisse satis.
Te tamen ante, precor, pater o venerande
  Oscula sacrato des mihi ferre pedi.
Urbe tua liceat fesso requiescere vati,
  Romanoque solo mollius ossa cubent;
Supremique reus quum iudicis ora tremis
  Exarmet rigidum pagina vota tibi.

FINIS

INDEX

Friburgi Helvetiorum. — Typis consociationis Sancti Pauli.